Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Caspar Bartholin

Casp. Bartholini Rhetorica, Mandato Sereniss. Daniae, Norwegiae &c. Regis : Edita Pro scholis Cathedralibus & Collegiis

Argentorati: Ledertz, 1624

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74584197X

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74584197X/phys_0001
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74584197X/phys_0002
DFG

CASP. BARTHOLINI

RHETORICA,

MANDATO SERENISS. DANIÆ, Norvvegiæ &c. Regis

EDITA

Pro ſcholis Cathedralibus & Collegiis.



ARGENTORATI.

Typis PAULI LEDERTZ Bibliop.

Anno M. DC. XXIV.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74584197X/phys_0003

DFG



Serenissimo ac Potentissimo
Monarchæ & Domino,

DN. CHRISTIANO IV.

Daniæ, Norvvegiæ, Vandalorum, Gothorúmq; Regi, Duci Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comiti Oldenburgico & Delmenhorstio,

Domino suo Clementissimo,

QVod facere à Sereniss. Reg. T. Maj. iussus sum, ad excitandū illud Sapientiæ Templum materiam, calcem & cæmenta ut cōportarem; debitâ subjectione atq; humilimo studio, iis cōsultis, quibus bonæ artes animam hodie & spiritum debent, expedire conatus sum. Iuventuti hac occasione, cui

à juventute operam pro re & copia condixi, viam ad illud, quà novi, monſtrare, faculámq; quam potui claram allucere (ut cum Plautina Muſa loquar) aggreſſus. Vtinam auſpicatò! Vtinam aliquà ad mentem imperantis! Vtinam bono juventæ, quæ ab his artibus & Muſis non averſa! Præſtructa autē modi benè dicendi ſtructura rectâ ad R. M. T. itionem maturat, tamquam ad ipſum magnū, ut ſic dicam, ædilē: qui in tantâ pro patriæ immò melioris orbis Europæi jam nutātis ſalute, curarū mole, in hoc totus tamen eſt, ut pietatis officinæ virtutúmq; ſeminaria nō proletariâ aliqua aut tralatitiâ, ſed accuratâ ratione inſtituātur: vel quod idē eſt; non tam regna mundi ut ſtabiliantur (quò pleriq; mundi principes arcum ſatis dirigunt) quam ſuper-

percœleſtia illa quæque iis ſubſer-
viunt, quærantur: id quod vero ve-
riùs eſt *Regna pietate firmare*, Re-
gemq; , dū tot alibi ab antiquo uſ-
que ævo ad hoc noſtrum intra pri-
mas memoriæ metas corruunt,
per omne ævi tēpus plenis gloriæ
velis ferri. Invulgatum eſt: *Omnibus
bonis oportere plus gloriæ quàm divi-
tiarum eſſe.* Quidni etiam, *Omnibus
regib. oportere plus gloriæ eſſe & vir-
tutis, quàm auri & regnorū?* Tu, Se-
reniſſ. Rex, licet utroq; bonorum
cenſu ab Altiſſimo præ aliis Regib.
abūdè ſis cumulatus: priori tamē,
eâ abundantiâ; ut ob virtutes, quæ
ſupra hominem ſunt, nō Rex tan-
tùm à Deo unctus, ſed univerſo
etiam orbi Boni ſis Regis ſpecta-
men. Fidem à rebus facerē, niſi in
ore eſſent & oculis omnium Bella,
innumeris triūphis & glorioſiſſi-

mè gesta: tot frequentatæ ex universo meliori mundo ad R. T. M. regum & principum legationes, tamquam ad Numen quoddam & Oraculum, quod in illa virtutum specula eminus venerantur: tot urbes, castra, propugnacula, arces, armamentaria, classes, portus, pōtes, turres, viæ publicæ, aquæductus, palatia, in regnis tuis te regnante partim reparata, partim & vel maximè de novo parata; quibus laudes avorum & atavorum unº exhausisti: quódq; caput rei est, & primo dicere debuissem ordine, *Pietas* sinceræq; relligionis & sciētiarū propagatio sub tuo imperio eousque *firmata* & adaucta; ut nullis non Musarum exteriorum sedibus ditiones tuæ palmam faciant ambiguam. Cæterùm adoreæ & laudum hoc limen libo duntaxat

non

non penetro, quia virtutum tuarum sacrariū eloquentiæ penicillo nè adumbret quidem aliquis Tullius. Rex ille Regum Sereniss. Reg. Maj. T. virtute & salute porrò mactet, ut Christiano orbi inprimis patriæ virtus ac salus perennent.

Dabam Hafniæ, ipsis Kalend. Febr. Anni M. DC. XXII.

Sereniss. Reg. Maj. T.

subjectiss.

CASP. BARTHOLINVS.

AD

AD LECTOREM Benivolum.

DVm circumfusum illum Eloquentiæ Oceanum per angusta Alveorum diverticula in has fossulas jussu magni Regis mei compello, mi Lector, non sum nescius, non nemini operam hanc parvam visum iri atq; abjectam, potioribus pompam & speciem fortè habentibus studiis minúsq; in vulgum notis impendendam. Bonis verò & rectè judicantibus facile erit meum ut probem institutum. Quamquam enim in hac harena laudem quærere in animum numquam induxissem meum, nisi summi Magistratus imperâsset autoritas, atq; ad hæc scribenda animâsset Academiæ nostræ Conservator, Magnificus & Perillustris Heros, Dn. CHRISTIANUS FRISIUS, *de Kragerup, Eques auratus, Reg. Maj. Cancellarius Magnus, & Regni Daniæ Senator primarius, Mecænas meus benignissimus: annos tamen meos adhuc florentes opera ea non admodum dedecet, sine qua magna illa & præclara consistere minimè possunt. Quid? quòd octua-*

genari-

genarius etiam Plato non cessaverit expolire sermones suos, præcipuè verò ut ipsos ornaret; id quod P. Victorius Dionysium Halicarnassæum laudâsse refert. Et supra vulgum hanc benè dicendi artem esse de facili advertat, qui non limis varia veráq; fundamenta ab omnibus hactenus Rhetoribus sive ignorata sive neglecta adspiciet, adunatis quæ rectè in hoc genere hidem docuerunt momentosioribus. Dolendum autem, complures harum carere artium, quos senatores & dictatores audire æquum esset hujus curiæ, in margine tamen adhuc hærentes & finibus, nec orationem consectari validos, nisi quæ ut oves AEgonis Virgiliani vix ossibus hæreat, sine succo & sanguine, dilutam, famelicam & enectã: ut causse satis sit, non pervenire ad frugem bonam juniores permultos, systematum ac præceptorum genuinorum defectu, docentiumq; insciti, variationibus, ad calamum dictationibus. Quo postremo onere in Scholis & Gymnasiis ut posthac supersederetur, nè tyrones tam pertinacẽ frustra susceptum laborem pertæsi resiliant, compendia varia promi Magistratus voluit, eaq; à discentibus

Præ-

Præceptorum ope enucleari, exemplis illustrari, strenuè urgeri: iis ut lectiones solidum operæ rependant pretium. Memoriæ tyronũ insigi, quæ majusculis expressit Chalcographus; mediis expressa typis, paullò provectioribus; minimis autem excusa, docentibus & studiosis inservire, in rem fuerit. Ego quidem splendidiùs & copiosiùs systemata potuissem in lucem edere singula (præ me fero) at juniorum captui & memoriæ fuit consulendum. Eapropter sciolos & zoilos qui invidebunt, Orbilios qui carpent, animi desipientes qui damnabunt, ridebo magis quam metuam: nec molestiam mihi creabunt, sed jocum. Solent enim quidam, ut discipulis scientiæ alicujus fulturâ subnixi videantur, virgulâ censoriâ jam voculam aliquam notare, jam præceptum aliquod, quod quia minùs intelligunt, aut priùs per strepitum ab aliis non audierunt, non probum putant. Hiscum sertam ducere infra me fuerit, & doctos, meam vicem si qui contra perversè acriculos tales responsuri. Eruditioris pulveris Magistris non infitebor, granarium nullum tam perpurgati esse legumi-

nis,

nis, in quo non manipulum aliquem è vicia aut lolio colligat aliquis curiosior; & juxta monituris meliora, modò ex solidis fundis & fundaminibus, cedere paratus ero. Cæterùm priusquàm valere te jubeam, mi Lector, & hisce frui, recenseri tibi eos, quorum ope in Rhetoricis & Oratoriis adjuti sumus, æquitas ipsa postulat. Inprimis Thaleti & Mecænati meo, Generoso & sapientiæ utriusque Phœnici, Dn. Oligero Rosecrantzio, Domino de Rosenholm &c. fundamentum novum illud & genuinum troporum acceptum referes, qui illud ex inexhausto sapientiæ suæ penu mihi & tibi communicare voluit. In specialis Oratoriæ partibus quibusdam non parum contulêre Keckermãni editæ meditationes: quamquam pro re natâ pleraq; in melius, uti confido, mutavi, multa exauxi, plura contraxi. Ex cæteris præstantioribus, qui Rhetoricam ejusve partes illustrârunt, potiora selegi, inq; usum meum, apes imitatus, transtuli: quorum nescius nè esses, nomina subjungo, téque Lector Candide Valere jubeo.

Laur.

Lant.	*Antiq. Leontinus.*
	Aphthonius.
	Aristoteles.
Anton.	*Burchardus.*
Ludov.	*Carbo.*
Das.	*Chytræus.*
	Cicero.
Dan.	*Cramerus.*
Cunr.	*Dietericus.*
Matth.	*Dresserus.*
	Fabius.
Rud.	*Goclenius senior.*
	Hermogenes.
Melch.	*Iunius.*
Barth.	*Keckermannus.*
Alb.	*Leonius.*
Iust.	*Lipsius.*
	Melanthon.
	Quintilianus.
Io.	*Resenius.*
	Riccobonus.
	Roterodamus.
	Scribonius.
Ad.	*Siberus.*
Cypr.	*Soarez.*
Io.	*Sturmius.*
Aud.	*Talæus.*
Frid.	*Taubmannus.*
Hier.	*Treutlerus.*
Corn.	*Valerius.*
Gerh.	*Vossius.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74584197X/phys_0014
DFG

PROOEMIVM
DE DEFINITIONE ET DIVISIONE RHETORICES.

RHETORICA est habitus instrumentalis dictione animum percellendi ad persuadendum.

Definitum ῥητορικὴ (*subaudi* τέχνη) derivatur à voce ῥήτωρ, quæ denotat *latiùs* 1. *Causidicum & rabulam.* 2. *Iudicem, qui propriam suam sententiam exponit. Strictiùs Oratorem, qui non potentiori tantùm & animum percellente sermone, sed & sapienter ad persuadendum dicit: quæ acceptio & Rhetoricam propriè dictam & Oratoriam comprehendit. Strictissimè &* propriissimè eum, qui dicit animum commovente & vehementiùs percellente quodam orationis flumine.

Ῥητὴρ enim vel ῥήτωρ, sicut & ῥητὰ dicenda, & ῥῆμα vel ῥῆσις dictio, dictum, verbum, sententia, oratio, &c. derivantur à verbo ἔρω, significante 1. dico, loquor, eloquor, &c. licet tum derivata usitata sint, secus quam primitivum. 2. fluo, quod competit non liquidis tantùm rebus apud Græcos, sed & igni, telis, & verbis, aliisq; quæ impetu quodam & celeritate feruntur. Rhetorica ergo idem quod Eloquentia (ut habet Quintil. lib. 2. cap. 1. & 14. licet aliquando Eloquentia Oratoria tantùm significet, quæ in agendis causis, populoq; ad aliquid excitando posita est, cum ipsis conjuncta rebus) docet dictionem penetrantem, fluidam & copiosam. Hinc malè alii à ῥητορεύειν deduxêre; cùm hæc vox à prioribus potiùs deducatur & dependeat. Nam & apud Aratum & Ciceronem Epist. ad Attic. 16. lib. 15. ranæ ῥητορεύσι, quando identidem coaxantes, quasi declamitant ad futuram pluviam.

Rh. eloquentia

Accuratè loquendo differunt ῥῆμα & λόγος. Λόγος aliquid significat & intellectui repræsentat, vel ut oratio integra, vel ut dictiones plures, vel ut dictio unica: non enim est λόγος, nisi λέξιν suam habeat, & aliquid dicat: ῥῆμα autem est verbum ut fluens per os in aures & oculos, vel sermo ut in fluxu, aliquando nil

differunt λόγος ῥῆμα

nil significans, ut Blictri est quidem ῥῆμα, sed non λόγος. In sacris equidem ῥῆμα non reperitur quin sit λόγος, aliter tamen consideratur vox ut ῥῆμα, aliter ut λόγος. Et donum est ἑρμηνείας posse λόγους aliis atq; aliis ῥήμασι proferre, dummodò λόγως Spiritus sancti servemus. Variis ergo ῥήμασι eadem esse potest λέξις & unus λόγος, ut liquet tum in linguis diversis; tũ in una eademq; ut pauper, egenus, inops, &c. diversa sunt ῥήματα, quorum idem λόγος, quippe unius rei; licet ejusdem rei varii esse possint perfectionis gradus, qui in sacris attendendi in λόγων quorumcunq; λέξει, ut quo λέξεως gradu λεκτὸς suscipiendus sit λόγος quisque, debitá postmodum ἀναχρίσει dignoscatur. Quamobrem cùm λόγοι dicantur, quia non nisi λόγῳ vel mẽtis sunt, quæ exteriùs λέγει & profert, quod aliàs interiùs λέγει vel λόγῳ format: hinc λόγος dicitur quatenus λέξεως ejus est simulacrum, quæ conceptum λόγῳ interioris mentis exprimere comparata est: ῥῆμα verò quatenus eamdem exteriùs effert. Eadem, inquã, vox λόγος est menti interiùs ἐνέργως, ῥῆμα est sensibus, seu eidem menti exteriùs ἐν

ἔργω. Hinc etiam quando vel verba quasi numeratò designari vult Dei Spiritus, vel eorum in relatione ad sensûs externos fit mentio; vox adhibetur ῥῆμα: vocis autem λόγων frequentior est usus, ubi ad λέξιν, sententiam & mentem potissimùm est respectus.

Accipitur ergo hîc definitum, non ut simul Oratoriam includit, *distinctum quippe habitum à Rhetorica, & distinctis præceptis eapropter à nobis exhibendum*, sed pro Rhetorica specialiter & propriè dicta, *communi non Oratoriæ tantùm, licet hujus præcipuè; sed aliarum etiam facultatum ac scientiarum instrumento.*

Differt enim Rhetorica ab Oratoria: *quamvis communi loquendi consuetudine tam à Græcis quàm Latinis, modò hæc pro illa & vice versâ sumatur, modò etiam alterutra utramq; significet,* 1. Genere, *ut definitiones utriusq; ostendunt.* 2. Esse potest quis Rhetoricus, *tropicè & figuratè eloquens*, licet non sit Orator. *At non contra: Orator enim non est, qui non priùs Rhetoricus, sicut Rhetori-*

tericus nemo, nisi priùs Grammaticus: & priusquàm orationem verbis potentiorem efficies, ex Grammaticis in promtu tibi priùs habenda, quæ pura, perspicua, usitata, efficax & emphatica &c. 3. Finis Rhetoricæ est potentibus verbis videlicet tropicè vel figuratè movere auditorem ut persuadeatur: Oratoriæ verò perspicere quid in re quâq; idoneum sit ad persuadendum. Vnde Cicero officium Rhetoris esse vult, docere, movere & delectare. 4. Rhetorica sermocinalis est doctrina, uti & Grammatica; Oratoria rationalis; ut suo loco dicetur, sicuti & Logica: quavis suo respectu & considerandi modo.

Vnde Rhetorica latiùs accepta, prout Oratoriam etiam includit, rectè aliis dicitur partim sermocinalis, partim rationalis, maximè verò rationalis, quia Oratoria nobilior: docens materiam eloquentiâ ornandam invenire, propositionibus & argumentis communire, rectè hæc omnia disponere &c. ut finem consequatur. 5. Diversam planè esse Rhetoricam ab Oratoria Dietericus se scire ostendit duplici edito systemate, uno Rhetorico, altero Oratorio. Scaliger

nutem amplissimi ille ingenii vir, quē Casaubonus jure merito Verbium Stagiritam, q. d. redivivū Aristotelem appellavit. Exerc. 1. sect. 3. non parum hac de re adsequutus est, cum infit contra Cardanum: Verùm nē Rhetorica quidem cum Oratoria eadē est. Quippe ars Rhetorica orationi ornatum at; vim apponit ad persuadendum. Oratoria est facultas utens illius instrumentis. Oratoria est politiæ pars: Rhetorica verò λογικῆς: cujus tertia portio Grammatica est &c. *Et aliquid vidit Goclenius lib. 1. probl. Rhetor. 7. ubi distinguit inter Rhetoricam & hanc Rhetoricam, Oratoriam: quæ præter elocutionem & actionem inventionis & dispositionis leges adhibet. Hinc rectè idē probl. 8. lib. 1.* Præceptorum σύσημα, quod tantùm ornatum sermonem respicit, pars Logicæ non est, sed ars prorsus ab ea separata, & distincta à Logica, & quidem est ars sermocinatrix &c. *Et probl. 12.* Si Rhetorica intelligitur cum veteribus, ut Aristotele, pars quædam vel propago, & tamquā germē seu virgultum quoddam Dialecticæ & Ethicæ, quasi è radicibus ipsarum pullulans ac prodiens, vel facultas ex pluribus artibus procreata conflataq;, ut è Dialectica, ex Philosophiâ morali, è Iurisprudentia, è doctrina de ornatu orationis, &c. *Interim tamen eorum in castra nō transimus, qui Oratoriam cum Logicâ magno confusionis errore eandem fecēre.*

Alios

Aliis differunt, quòd Rhetor, nonnullo docens artis præcepta dumtaxat tradat; Orator, qui nonnullis dicitur Rhetor civilis, forensis & operans, in forum prodeat ad agendas causas, & utilia populo persuadeat.

Genus *formæ locum obtinens*, est habitus instrumentalis, *id est*, *instrumenta efficiendi.*

Ideo ipsa Rhetorica Philosophiæ instrumentum, uti & Logica (cujus natura hauriatur ex Logicis) non ut intellectus operationibus dirigendis inservit, tum enim Logica *dicitur; nec ut memoriæ, & dicitur* Mnemonica; *nec ut sermoni simplici, puro & emendato, quem vulgò congruum vocant, & dicitur* Grammatica; *sed ut potentiori menti atq; acriùs percellenti, quæ vulgò ornatum vocant, dicturq;* Rhetorica.

Alioquin laxiori appellationis licentiâ, Rhetoricam modò artem, modò scientiam, disciplinam, doctrinam, facultatem &c. cum Oratoribus minùs de Philosophica ἀκριβείᾳ sollicitus, appellare poteris. Quamquâ autè rectiùs ars dicetur Rhetorica, quam scientia: sicut & saltatoria, histrionica, Musica &c. quæ administriculo corporeorum membrorum fiunt, licet opus non relinquant, magis referunt artem, quam scientiam: attamen rigidè propriè; loquendo, per artem Rhetorica definiri non potest, cùm τὸ ποιητικὸν non sit, *ut in Logicis de arte*

dictum. Si dicas 1. Orationem esse opus relictũ à Rhetorica: Respondetur: Orationẽ, ut linguâ profertur, non esse quiddam remanens: Vt in charta descripta est, non esse opus Rhetoris, sed scribæ: ut in conceptu est, minimè utiq; externum opus esse. Et ubi dabis materiã orationis sic stratam, sic extra positã, ut forma quædam ei imprimatur, sicut ferrum fabro objicitur, cui forma clavi imprimitur?

Finis internus primarius vel officium est potenter vique animum percellente, *id est, tropicè vel figurate:* è DICERE, *adeoque etiam scribere.*

Scriptio enim dictionis est ὁμοίωμα. Quod namq; Grammaticus nudè & simpliciter, purè tamen proponit, hoc Rhetor vehementiùs, acriùs & urgentiùs animo auditoris infigit, eumq; percellente quadam Suadâ movet excitatq;.

Malè ergo addunt alij cum Quintiliano & Talæo 1. Sapienter. *Materiam enim & argumenta invẽtionis hæc vocula insinuat, Oratoriæ competens. 2.* benè, *quæ generalis nimiùm vox: Grammaticus enim etiam benè dicit, sed citra hanc vim & percellendi potentiam; Rhetoricus benè, at cum vi dictâ, quæ sermonẽ bonum,*

num, purum & emendatum præsupponit; at Grammaticus non statim Rhetoricũ includit. Si dicas cum Goclenio lib. 1. probl. 4. per benè intelligi idem quod ornatè, aut quidquid fortè nos requirimus, ambiguitas oritur, nõ leve definitionis vitium.

Hujus finis interni *primarij* consequens est ornatus, *quo nomine ipsum antecedens nonnumquam indigitatur.* Ornatum verò consequitur.

Delectatio. Delectare hîc est verborum sententiarumque ornamentis voluptatem in audientium vel legentium animis gignere: *In orationibus, concionibus, colloquiis, epistolis, descriptionibus urbium, fluviorum, animalium, nationum, fabulis, aliisq; quibuscunque sermonibus etiam extra forum, de Theologiâ, Iure, Medicinâ, Philosophiâ utrâque Theoreticâ & Practicâ, hac præsertim.*

Malè vero hactenus unum corpus quasi ex Rhetoricâ & Oratoriâ coagmentarunt, adeoq; in Rhetoricis orationis partes materiales juxta & formales tradiderũt. Error autẽ autorũ

inde pullulavit, quòd & ut plurimùm cõjuncta in usu & praxi sint facultates, & antiqui ut plurimùm utramq; excolendo conjunxerint.

Secundarius finis internus est ad aliorum dicta atque scripta intelligenda & judicanda.

Finis externus vel usus est persuadere, scilicet dictione, vel verbis potentibus.

Oratoria quidem etiã persuadere conatur, at non verbis, sed rebus & argumẽtis, in quacunq; quæstione proposita. Quòd autem detur πειθὼ, suadela, persuasio, vel vis persuadendi, etiam in λόγοις ἀνθρωπίνης σοφίας, satis colligere est ex 1. Cor. 2, 4. Porrò finis hic externus ut rectius intelligatur, cõjungatur ea, quæ de fine externo Oratoriæ inibi inculcata sunt.

Efficiens *Rhetoricæ generatim pro propriè sic dictâ Rhetoricâ simul & Oratoriâ sumptæ cum inquiritur, Siculis eam ceu inventoribus abscribunt Laërtius, Aristoteles, Cicero & Quintilianus. Nam Empedocles Agrigentinus primus aliqd ex Rhetoricis scivisse fertur, mox Corax, Tisias, Syracusani; & iidem Siculus Gorgias Empedoclis, ut volunt, discipulus. Eodem ferè tempore vixerunt Protagoras Abderites, (cujus loci communes illustrium disputatio-*

tationum circumferebantur, & ab eo artē decē millibus denariorū didicisse fertur Evathlus) Prodicus Cojus, Thrasymachus Chalcedonius &c. A Gorgia multi, in quib. insignis Isocrates, profecti: quibus successêre complures Rhetores egregii. Hunc Aristoteles imitatus, pomeridianis horis Rhetoricam docere cæpit, de qua scripsit etiam ut copiosissimè, ita elegātissimè. Scripserunt etiā Hermagoras, Hermogenes, Halicarnasseus, & alij, artis utilitate & honore inescati. Romanorū primus aliqua circa Rhetoricā cōdidit M. Cato Censorinus: pòst M. Antonius. Perfecit autem Eloquentiā dicendo scribendoq́; Cicero, quem præter cæteros eloquentissimus imitatus est Quintilianus. Aristoteles primam Eloquentiæ originem Poëtis tribuit, quibus stimulati Oratores dicendi rationem gratiorem & moderatiorem elegerūt, abjectâ lasciviâ Poëticâ; quod ipsum Poëtæ cū Comœdias & Tragœdias solutiori dicendi genere scriberent, factitârunt.

Efficiens adjuvans & perficiens est *multiplex, quâ Eloquentia comparatur.* 1 Natura vel ingenium mediocre; sed judicium acrius. *Hinc naturæ ipsius habitu, ut ait Tullius, multi sine doctrina per se ipsi copiosi & ornati exstiterunt.* 2. Ars, *quæ dux certior naturā excolit.* 3. Exercitatio, *utramq; perficiens, studium, labor, prudentia, multa lectio, experimēta, imi-*

tatio, rerum variarum scientia & usus, cõsuetudo. Vide requisita Oratoris.

Materia *Rhetoricæ specialiter dictæ* (*exclusâ Oratoriâ*) est Dictio quæcunq; (*quàm tamquam subjectum sibi mutuatur*) vel simplex, unius vocis, in quâ tropus; vel conjuncta, sententiæ *seu orationis*, in quâ figura.

Subjecti ergo *materiale* sunt dictiones omnes: *sicut in Logica & Oratoria res omnis. Sed quia hoc* subjectum *est* commune, *Grammatica etiam quod debetur, adstipulante Scalig. lib. 4. de causs. L. L. cap. 76. ideo subjectum* proprium sit cùm dicimus: dictiones quatenus animum auditoris percellunt, & consequenter ornatu splendescunt.

Formale hoc subjecti est; sicut in Grammatica formale est, ut dictio sit pura & simplex, vulgò congrua. Vel quod idem: In Grammatica & Rhetorica dictionibus notiones imponũtur secunda inservientes; illi pro cõgruis futuris; huic pro ornatis: ut jam ita consuetudine loquamur vulgares.

Notan-

Notandũ autem ſuos habere quamlibet linguam peculiares loquendi modos, figuras, emphaſes, affectus, propriamq; gratiã & venuſtatem, quæ alio Idiomate exprimi æquè & integra reddi non poſſunt. Vnde Orationes Demoſthenis præſtantiſſimæ multum excellentiæ in lingua latinâ amittunt.

Huc referatur Effectus, qui in Oratoria.

Quia verò percellens ſuadela ſeu perſuadẽdi conatus (quem poſthac Suadam appellabimus) vel eſt internus, dictioni juxta & ſcriptioni conveniens; vel externus, membris corporis in voce & geſtu peragendus, ideoq; non niſi inter dicendum utilis: Hinc

Dividimus Rhetoricam in partem generalem & ſpecialem. Generalis eſt quæ dictioni juxta & ſcriptioni competentem Suadam explicat internam, tam primariam quàm ſecundariam. Specialis, quæ externam non niſi inter dicendum utilem enucleat, *quam alii actionem vocant, in voce & geſtu conſiſtentem.*

Eam quæ in voce eſt, pronunciationem cõmuniter vocant, partẽ Rhetoricæ, geſtus actionem

nem improvidè negligentes. Partem cõmunem Elocutionis nomine indigitant: (Alij vocant exornationem, Graci nonnulli, & cũ his Quintilianus, φράσιν, Aristoteles λέξιν, Demetrius Phalereus ἑρμηνείαν, quia mente concepta interpretamur & exprimimus, alii Graci ἐπαγγελίαν, mentis denunciationem) Et tres alias addunt: inventionem, dispositionem & memoriã; ut in universum sint quinq; partes Rhetorices. At inventio & dispositio sunt partes Oratoriæ facultatis, ut in ea dicemus, & nullatenus Rhetoricæ: Memoria autem, si naturalis est, pars alicujus habitus acquisiti minimè audire poterit; si artificialis, distinctus oritur habitus Mnemoneuticus, non in Rhetoricâ modò & Oratoriâ, tanquam instrumentum, utilissimus, sed in quibusvis simul facultatibus, scientiis & artibus. Neq; Oratoriæ pars esse potest Memoria. licet enim ei hæc sit necessaria, tamen non propria: ita enim ei necessaria sunt & Grammatica, Rhetorica &c.

PARS GENERALIS,
quæ de Suada interna.

Interna vel est primaria, vel secundaria.

Prima-

Primariam absolvunt Tropus & Figura. Ille unius vocis seu dictionis: hæc plurimum *vocum, id est, totius alicujus sententiæ & sermonis.*

Vnde Cic. in orat. Ornatus, *ait,* Orationis aut in singulis verbis statuitur *(ut in tropo)* aut in conjunctis *(ut in figura) Præsupponere enim & præscire Rhetorem oportet ex Grammaticis & affinibus, priusquam sermonem ornatū faciat, quomodo eum reddat 1.* Congruum *legibus Grammaticis. Vnde Cic. 3. de Orat. ait: De latinitate non agam, quia non possum eū docere dicere, qui loqui nescit. 2.* Proprium & *accommodatum ad rem significandam. 3.* Purum, *i. e. nec barbarum ex materna lingua cōfictum, nec peregrinum immixtū, nisi rarissimè, eúmque Græcum, cùm singularis necessitas cogit, Latinis fortè deficientibus, lib. 1 Ac. quæst. vel ubi consuetudo utitur pro Latinis; aut Emphasis suadet; aut is, ad quem scribimus, impensè Græcis delectatur; quá de caussá in Epistola ad Atticū Græca multa intermiscuit Cicero; quod alias minimè solet facere: Immò præcipit 3. de Orat. quòd vox Romana non debeat olere aliquid peregrinum. Et lib. 1. de offic.* sermonem, *inquit, eo uti debemus, qui notus est nobis, ne Græca verba inculcantes jure optimo irrideamur. Deinde non sit mixtus ex phrasibus*

sibus Oratoriis & poëticis; sed si quid singulare insit poëticæ phrasi, addat, ut cū poëta loquar & c. Tandem citationes locorum, capitum & c. sermoni non inserendæ (quibus hiulcus redditur) exemplo Ciceronis: sed ejusmodi margini infigi gossunt. Adde ad puritatem etiam Euphoniam spectare. 4. **Usitatum:** *ne cum matre Evādri loquatur, & prævetustate carioſis vocibus puerilem affectationē præ se ferat. 5.* **Clarum** *& perspicuum: quæ requisitorum hactenus allatorum soboles est. 6.* **Varium & copiosum:** *ne si una res sæpè nominanda, eādem voce cum eadio repetitā eā insigniamus. 7.* **Efficacem & nervosum:** *quod fit cum proprijssimè res significatur, & rei adæquat magnitudinē ac qualitatem: itemq; si additum habet aptū ac penetrans epitheton, frequēter quidem, non tamen tā sæpè ut apud Poëtas, nec Poëtica Epitheta confundenda cum Oratoriis. Adde quæ infrà habentur de Epithetis. 8.* **Debitis intervallis & periodis distinctum.** *Talia, inquā, ad Grammaticos spectant, quorum est certos loquendi modos cum suis exceptionibus tradere.*

CAP. I.

DE VERIS TROPORVM fundamentis in genere & in specie.

DIctio *vel* λόγος omnis habet tum suam

ſuam λέξιν genuinam, per quam eſt λόγος, tum διάλεξιν, eamque variam, *ut colligere licet* 1. Cor. 2.

Λέξις eſt, quòd Dictiones res ipſas rerumq; motûs ſeorſum concipiendos ſignificanter DICANT.

Sunt enim notæ rerum & motuum earundem; quamobrem ut res, ejuſdemq; motus, eſt propria ſua animo concipienda indoles: ſic & ſua eſt dictionibus notandi & dicendi propria indoles rebus concipiendis conformis, quæ λέξις eſt, per quam tamquam formam dictio ab aliis contradiſtinguitur (quamvis enim res una pluribus aliquãdo notetur vocibus; tamẽ quà diverſimodè neutè concipi poteſt, in ſe licet una, hoc cõtingit: quod aliquando manifeſtius eſt, aliquando, non benè videlicet perfectâ dictionum indole, obſcurius) Quare Dictio una eademq; nullam unquam λέξιν habere poteſt vel dicendi indolem niſi propriam (ſi enim alienum quid dicit eadem Dictio, eo ipſo quo una eſt eademque, alia vel aliena inſuper erit) eamque unicam, niſi in pauciſſimis quas linguarum inopia plura diverſa fecit dicere, ubi qualibet tamen eſt nativa propriaq; ſignificatio. Falſiſſimi ergo illi qui tropum definiunt immutationem vocis a propria ſignificatione in alienam.

Interim

Interim λέξις *dictionum propria, id est,* dictio *propriâ suâ indole* licet una *eadémque,* pluribus inter se junctis, peculiari sibi amplitudine *quâdam* apta est variis rebus docendi adhiberi, *& aliis atque aliis conceptibus inter se diversis menti præformandis.* Quemadmodum quando res concipimus, vel universè & confusè secundùm omne id, quod ad integritatem earum in unum coit; vel distinctè & sigillatim *secundùm id unum, quod verè esse ipsum suum est conceptu distinctiore formatum in mente, v. g. dictio* Vulpes *significat animal illud, omniáq; ejus accidentia, conditiones &c. ut astutiam &c. Aliquandò autem Dictio illa in contextu aliquid Vulpis nos* docet, *videlicet astutiam; ut cùm dicitur: Herodes est Vulpes.*

Sic Homo cùm universè concipitur, concipiuntur anima cũ facultatibus, corpus, ejusq; omnes partes & c. atq; ita Dictio licet in se una, plura tamen sub ea unitate, quibus res cõstat, denotat, sed universè tantùm; sicut plura ea, qui-

quibus res constat, universè tantùm concipiũtur. Et sicut, quando res cum omnibus quibus cõstat, uno conceptu concipitur, non sic atim singula sigillatim concipiuntur ; ita nec eadem dictio Homo *singula seorsim propriâ dicendi indole dicit. At distinctiùs homo conceptũ dicit, non nisi quâ homo est, exclusis iis, quæ cum aliis sunt communia.*

Διδαξις est, quòd Dictiones DOCEANT rerum, rerúmque motuum inter se communionis & σχέσεως conceptûs ; *plures enim dictiones copulantur, ad mentem, de rerum & conceptuum plurium conjunctione edocendam.* Ex hisce dictionibus contingit aliquas EDOCERE aliud aliquid *de re concipiendum*, quàm quod *indole propriâ* primò DICERE natæ sunt: *non quòd dictio alienam assumat* λέξιν *& dicendi indolem, sed* quòd propriâ dicendi indole ad aliud aliquid docendum usũ inflexo & translato usurpetur : *quod ipsum tamen sicuti cum re eâ, quam dicere nata est, conjunctionem habet aliquam, ita à dictione, quatenus rei universæ nota est, penitùs alienum esse nequit,*

quit. E. g. Quando Christi discipuli vocantur Sal terræ. Res diversissimæ sunt discipuli & Sal; Aliquid tamen iis commune est, videlicet valida actus efficacia à corruptione & depravatione vindicandi. Cujus conjunctionis & communitatis ratione dictio Salis discipulis comparatur & tribuitur usu inflexo, id est, non ad docendum id quod simpliciter dicere nata est, videlicet salem ipsum, sed commune illud in discipulis & sale observatum: ut rei ejusmodi determinatæ notatione Mens vehementiùs ad illud, quod utrique commune, de altero concipiendum percellatur & incitetur. Quis autem hîc vel Dictioni salis duplicem λέξιν, propriam nimirum & translatam attribueret, vel vocem eam Discipulos Christi suâ ullâ λέξει significare nisi absurdè statueret? Atque sic fuit διδαξις non simplex sed cum Suadâ.

Caussa autem & fundamentum troporum, vel quòd res doceri possint dictionum usu translato, & ad aliud aliquid

quid docendum inflexo, est differentia creatoris à creatura: vel *quòd* res non absolutè sint simplices, sed diversitati subjectæ, secus quàm illud quod absolutè unum & solum verè simplex. *Nihil enim est in Deo, quod non sit ipse Deus.* Varietas *illa* rebus adhæresçit *consideratis* vel in se, vel respectu *communissimarum* conditionum, *quibus à simplicitate supremâ recedunt.* In se tanta est, quanta diversitas tum essentiarum, tum essentialium proprietatum, quibus res aliæ ab aliis differunt: Ex qua varietate exsurgit *rerum* comparatio *dictionum inflexo usu notanda:* quòd res *ipsæ* vel universâ *nonnunquam* essentiâ differentes commune aliquid participent, & oritur METAPHORA; *vel planè inter se* dissideant, *nullam participantes communitatem*, & emergit IRONIA. *Respectu conditionum:* Conditiones *illæ* rerum *universitatis* sunt, quòd 1. nec à seipsis sint, sed habeant PER QUEM (i. e. efficientem, *unde*

unde alia efficientis, alia effectorum habent rationem) & Ex Quo sint, id est, materiam. 2. nec sint in seipsis id omne quod est, ita ut 1. nihil non ipsæ sint, *aliàs citra finitionem & partitionem omnem infinitum & omnia essent*: At verò res creata est *determinatum quoddam* totum partibus finitum. 2. nihil præter seipsas sint: Atqui res *universitatis præter id quo id sunt quod sunt, multa insuper* adjuncta habent, quibus subjiciantur, *variéq; adficiantur*. Vnde *liquet emergere* species, quas METONYMIAM & SYNECDOCHEN vocant.

Finis & usus, quare Dictiones inflexo usu docentes usurpantur, est ut id, quod menti concipiendum *præformare proponimus*, adeò *notanter* seu exaggeretur seu extenuetur, ut mens ad illud concipiendum vehementer percellatur & incitetur.

Estq; insignis troporum usus, *tum in sacris, tum in prophanis autoribus*. Cæterùm

rùm ſicut plurimùm adferunt gratiæ tropi & figuræ parcè & in loco adhibitæ: ita immodicus uſus nauſeam parit, *& vitioſè degenerat in locutionem poëticam, in quâ hæc ornamenta ſunt frequentiora.* Ideo tropis utendum tamquam condimentis, non eſculentis, *ne, ſi omnia tropis diffluant, res potiùs turbatæ involvantur, quàm illuſtrentur.*

Hinc adeo parcum & cautum troporum uſum commendat Ariſtoteles 3. Rhet. 2. 2. poſt. Anal. 15. 4. Top. 3. 7. Top. 2. 8. Top. 2. lib. 1. pol. 4. Aliquando tropi rem 1. clariorem faciunt, 2. ſignificantiùs ob oculos ponunt. 3. brevibus exponunt.

CAP. II.

DE TROPI DEFINITIONE & Diviſione.

TRopus eſt dictionis ad aliud aliquid uſu inflexo, ſervatâ propriâ dicendi indole, docendum translatio, ut mens ad illud concipiendum vehementiùs incitetur & percellatur.

Defi-

Definitum τρόπος & vel τροπὴ à τρέπω, verto, converto, muto, commuto, transfero, verso &c. vel τροπέω, retroverto, deducitur.

Quia factâ mutatione & translatione vox una nempe animũ magis percellens, pro altera ponitur. Hinc Tropus apud Aristotelẽ & alios etiã Græcos autores, Metaphoræ vel translationis venit nomine. Tropus etiam figuræ seu schematis nonnumquam Arist. & Quintil. nomine indigitatur, quando figura vel figuratio pro quovis ornatu interno accipitur sive tropico sive figurato.

Definitio constat genere tamquam formâ, & differentiâ ex *subjecto seu* materiâ desumptâ, *addito fine in præcedentibus adducto.* Genus est translatio *vel translatus & inflexus usus, ut ex capite præcedenti liquet.*

Posset & in tropi descriptione Genus adferri, Suada interna primaria, vel ornatus primarius &c. nullus enim est tropus, qui nõ exornet Orationem, si generæ troporum spectes. At non singula troporũ exemplæ necessariò ornatum orationi conciliant, quod scribentis insciti à aliisve remoris accidere potest.

Cæterùm cùm Tropus ex Topica Logica vel

locis

locis topicis desumatur (fatentibus ferè omnibus Rhetoricis) consideratis in terminis simplicibus; tot tropi esse fermè possunt, quot topi: si eos excipias, ubi realiter termini simplices non differunt, vel qui significant idipsum ex quo desumuntur, ut, definitio, notatio & qui huc referuntur, descriptio, proprium &c. Interim in Rhetoricis considerantur, ut unum pro alio ponitur, v. g. Caussa pro effecto &c. In Dialecticis ut alterum ex altero argutur. Quâ de caussâ utile uti esset futuro Rhetorico prius didicisse Logicam.

Communiter 4. constituunt: Metaphoram, Metonymiam, Synecdochen & Ironiam; cùm tamen Synecdoche sub Metonymia optimè comprehendi possit. Metonymia enim est triplex. 1. Caussæ & caussati. 2. subjecti & adjuncti. 3. totius & partium Quintilianus lib. 8. cap. 6. facit 12.

Omissâ n. Ironiâ addit Antonomasiâ, Onomatopœiâ, Catachresin, Metalepsin, Hyperbolē, Epitheton, Allegoriâ, Periphrasin, Hyperbatō. Antiquus Leontinus 12. habet, retinens Quintiliani, ultimo excepto, adjecta verò Ironia. Melanthon septem, quinque enim ultimos mittit. Chytræus in dictione decem constituit, in ora-

tione totidem. In dictione Melanthonis retinet cũ Hyperbole, additq; Tapinosin & Emphasin. In Oratione: Allegoriã, ænigma, proverbium, apologos, parabolas, Ironiã, Sarcasmum, antiphrasin, accismum, Mimesin. Dresserus tropi dictionis sunt 12. omissis n. hyperbole & tapinosi, addit antiphrasin, phrasin, periphrasin; paraphrasin. Albertus Leoninus in dictione 8. cõstituit: Metaphoram, Metalepsin, Metonymiam, Antonomasiã, Synecdochen, Onomatopæiam, periphrasin, abusionẽ. In Oratione; allegoriam, ejusq; species: ænigma, paræmiam, Ironiam, Sarcasmum. Sic & Soarez in uno verbo septẽ ponit Leonini, omittes periphrasin. In Oratione quatuor: Allegoriã, periphrasin, hyperbaton & hyperbolen. Valerius cũ ceteribus in verbis sex: Metaphoram, Metonymiam, Metalepsin, Synecdochen, Antonomasian, Catachresin. In tota sentẽtia: Allegoriam, Paræmiam, Ænigma, Ironiam, Asteismum, Diasyrmum, Charientismũ, Mimesin, periphrasin & hyperbolẽ.

Cæterùm 1. *ex his* quidam sunt generales tropi affectiones, *ut Allegoria, hyperbole & quæ datur Catachresis.* 2. Quidam *veris* tropis eorumvè affectionibus subjiciuntur, *ut, Metalepsis, Metonymiæ, Antonomasia Synecdochi, Allegoria affectionibus.* 3. Quidam

omni-

omnino tropi non sunt, *ut*, Onomatopœia, Epitheton, hyperbaton &c.

Veri *ergo, genuini* & generaliores tropi tantùm tres sunt: Metaphora, Ironia & Metonymia. *Synecdoche species Metonymiæ est. Et reliqui existimati tropi sub hisce tribus comprehenduntur. Metonymia enim in genere oritur ob varietatem rebus adhærescentem respectu conditionum; & harumdem ratione oritur vel Metonymia specialiter dicta, vel Synecdoche, ut caput præcedens edocuit.*

Numerus troporum sic aliàs ostensus olim à nobis est: Vox pro voce ponitur, mediante aliâ vel simili vel dissimili. Simili ut Metaphora; dissimili, ut Metonymia. Dissimili autem, vel planè oppositâ, ut Ironia; vel aliàs diversâ, ut totus pro parte aut vice versâ, & Synecdochen vocant, vel caussa pro effecto aut vice versâ, & specialiter Metonymiam vocant. Sed solidius demonstratur fundamentum cap. præcedenti.

Affectiones troporum generales infra tractabimus, quia sine troporum doctrina intelligi à tyronibus non possunt.

Cap. III.

De Troporum Efficiente & Materia.

Finem primum caput circa finem expressit, formam secundum; Efficientem & Materiam hoc tertium exodabit.

Efficiens *est procreans vel conservans.* Procreans fuit necessitas & verborum inopia: plures enim sunt res quàm verba. *Quàm maximè ergò fieri potest, tropi sint rei convenientes, ex cognatis & conformibus sumti, significantes, non longè petiti, non coacti, ut precariò, non vi venisse aut irruisse videantur: non obscuri, non frigidi, nimis grandes, duri &c. Quæ omnia ut vitentur, imitandi scriptores celebres, nec cuivis tropica singenda vocabula.*

Conservans est 1. Voluptas. *Rectè enim & cum ratione translatis plures delectantur.*

Est ergo & hoc Tropi requisitum, plurimùm delectare: Quia sæpè translatum significantius est & gratius, ut, ardet cupiditate, incensus ira & c. Delectationē non assequūtur, ubi syllaba

ba sunt insuaviores, quàm res ipsa si suavis postulat, ut, qui dixit Poësin stridorē aut strepitum Calliopes, vitiosè usus est voce stridoris asperiore, & quoad rem & quoad syllabam, quam quæ suavitati Poëseos respondeat.

2. Commoditas, *ut, cùm Venus pro coitu sumitur, obscœnitatis vitandæ caussâ.*

Verecundus ergo sit omnis tropus, & obscœni rejiciendi. Bryso verò apud Aristotelē 3. Rhet. cap. 2. autumat nullam esse verborum turpitudinem, nullumq; turpiter loqui: eò quòd duo verba idem significantia, vel ambo sint æquè obscœna, vel neutrum sit obscœnum. Respondetur cum Aristotele unum aliquando altero obscœnius esse 1. Ex natura rei, res quadam unâ parte esse possunt turpes, aliâ honestæ: vocabula ergo rem ex parte honestatis designantia, honestioria sunt. 2. Ex parte verborum unum altero est significantius. 3. Eademq; una vox duplicem significationem obtinere potest. Vt in exemplo date, Venus Deam alias significat, cujus tamen adjunctum libido.

Necessitas ergo tropos uti & vestes genuit, delectatio & commoditas conservarunt ac celebrarunt.

Materia est dictio, *verbum*, vox significans vel terminus simplex, licet

orationis extra contextum non fit aut intelligi possit. *Vt si dicas: Vulpes, nemo sciverit, an λέξιν hujus dictionis, an διδαξιν attendas. At si dicas: Herodes est Vulpes; Iam ob orationis contextum in voce tropus deprehenditur, id est, dictio (vulpes) ad aliud aliquid (astutiam) docendum, quod tamen à se non alienum, transfertur.*

Differt ergo Tropus à figura, quæ non verbi, sed orationis vel sententiæ habitum immutat, *dum puritatem Grammaticam variis schematum floscu-lis exornat.*

Nimis ergo absurdi *hîc illi*, qui tropum *etiam* in conjunctas voces *vel totã phrasin* cadere existimant;

Decepti 1. quòd nonnunquam multa simul vocabula usu inflexo & translato adhibeãtur. Atqui tum multiplicati sunt tropi, ut in illo exemplo quod Goclenius probl. Rhet. 43. adfert & tropum in tota phrasi esse putat: illotis manibus rem aggredi, id est, imperitâ audaciâ. Duo tropi sunt: primus, in illoto pro imperito: secũdus in manibus pro audacia. Sic & in aliis adfert aliud exemplũ probl. 32. quod ex scriptura

ptura Matt. 23. Qui excolatis culices & deglutitis camelos: ubi ait tropum esse in φράσει seu verbis conjunctis. Verum fallitur, non est tropus, sed sunt tropi: Metaphora in excolare & deglutire; Synecdoche speciei pro genere, in culice pro re exigua, in camelo pro re magna & mōmētosa. Sic quidā in Plauti dicto: Equo ligneo per cæruleas vectus es vias; tropum purat in utraq; voce esse, equo ligneo pro navi. At cùm navis ἀπριβῶς lignea sit, in voce Equus erit Metaphora. 2. Quia antecedens alicujus Enthymematis pro cōsequēte ponitur: item similitudinis vel cōparationis alicujus protasis pro apodosi: ut duos digitos erigere, id est, juvare. Vbi singulæ voces & tota Oratio propriè accipitur, & Logica magis est argumentatio, quàm Rhetorica modificatio. Ex erectione enim digitorum concludimus factum juramentum. Sic: virgineā solvit zonam, id est, vitiavit virginem. Ex antecedente intelligitur consequens. Non antē est tropus in sententia, ut putat Goclenius probl. 1. 3. Quia Quintilianus tropum vocat alium dictionis, alium sermonis vel Orationis. Vbi tamē latè voce tropi utitur, pro qua vis modificatione etiam figurata; sicut & Metaphora nonnunquā pro quovis tropo usurpatur. Alibi verò accuratiùs & distinctiùs loquitur, ut lib. 9. cap. 1. in hæc verba solutus: Figuras plerique tropos esse existimarunt, sed magis

signanda est utriusq; differētia: Est igitur tropus dictio ab eo loco, in quo propria est translatio, in eum locum, in quo propria non est: Figura autem est conformatio quadam rationis. Quam distinctionem approbavit Talaus lib. 1. Rhet, cap. 14. & ante eum Ramus.

Consimiliter absurdi *sunt*, qui *ad palliandas haereses* in tota prædicatione Logica tropum latere posse fingunt.

Refutatur hoc recens excogitatum figmentum 1. ex jā dictis *de natura tropi, qua in verbis, non in Oratione, aut rebus mente conceptis per multas voces enunciatis: cùm rerum ipsa connexio, qua est prædicatio, verti & mutari, adeoque tropo modificari nequeat. Vnde rectè Keckerman. l. 1. Syst. Log. sect. 2. cap. 2.* Tropus non dispositionem rerum ipsam, aut res spectat, sed verba &c. *Et in Systemate Rhet. lib. 2. cap. 2. nonum Canonem talem facit:* Tropus est in illis vocibus, quæ rem significant, id est in nominibus & verbis primariis, non autem in verbis secundariis, quæ tantùm copiam significant. Neque est in connexione rerum sive propositionis, sed in ipsis partibus propositionis. *Et paullò post ait:* Canon dicit, Tropum nec esse in copula, nec in ipsa connexione, cujus signum est copula; sed residere vel in subjecto vel prædicato propositionis id quod notari debet contrasos, qui dicunt tropum

tropum esse in copula vel tota connexione, cùm dicitur: Agnus Paschalis est transitus; circumcisio est fœdus; panis est corpus Christi &c. Hæc illa. 2. Si tropus prædicatio esset, aut prædicationis saltem aliqua affectio, ad Logicam pertineret. Atqui ex adversariis hisce nemo adhuc in Logicis quidquam docuit de tropo in integra prædicatione, aut tropica extremorũ conspiratione; nec docere aptè possunt, cùm, ut prædicatio est fori Logici, ita tropus Rhetorici. 3. Quia nullum dari potest exemplum ejusmodi prædicationis, cujus voces singulæ sine tropo, ipsâ interim existente tropicâ & modificatâ: sed exempla cùm adferunt, statim in simplicibus terminis tropum potius latere, quando adest tropus, apparet. Sic sæpè una vox pro alia ponitur, v. g. signũ pro signato, ut dextera pro fide, fasces pro imperio, at non fit combinatio aut prædicatio, ut dicatur, dextera est fides, fasces sunt imperium &c. aliud enim est alterum de altero prædicari, aliud, alterum pro altero poni: aliàs confusio fiet Enunciationis Logicæ & ornatus Rhetorici. Non fit, inquam, prædicatio signi de signato vel vice versâ: impossibilis quippe est relatorum, quorum unum non est alterum, sed alterius; ideoq; unum non prædicabitur de altero in casu recto; signumq; dici non potest signatum, sed signati: scilicet signum.

Tandem alucinantur *etiam*, qui tropum enunciationis alicujus *ad pallandos errores* collocant in copula EST.

Quod rectè negãt Melanthon in Dialectica, Goclenius probl. Rhetor. 15. Crellius lib. 2. Isag. cap. 2. & Keckerm. lib. 3. Syſtem. Theol. cap. 8. Canon. 12. & Syſt. Rhetor. lib. 2. cap. 2. Nam 1. Tropus eſt terminus ſimplex ex topis, ut ſupra dictum: Copula autem non eſt Categorema, ſed Syncategorema, id eſt, vox nõ ſignificativa, ſed conſignificativa, nõ ſignificans per ſe aut enũcians aliquid, ſed partes enũciationis conjungens. 2. Tropus eſt in voce, quæ explicatur. At explicatur vox v. g. vulpis, non copula. 3. Cùm tropus in copulã intruditur, ut eſt *exponatur per* ſignificat *&c. tantum abeſt copula tropo modificetur, ut potiùs præter copulã, quæ ſemper manet ſive implicitè ſive explicitè, vox aliena in prædicationem ingeratur, nam ſi pro hac, Herodes eſt Vulpes, ſubſtituas, Herodes ſignificat vulpem: oritur hæc, adjectã implicitè latente copulã: Herodes eſt ſignificans vulpem. 4. Prædicationes, de quibus Tropiſtæ quidam contendunt: fatentur iidem eſſe tales, ut diſparatum de diſparato prædicetur. At ſi pro eſt, Metonymicum ſignificat ſubſtituas, nõ prædicabitur diſparatum, ſed relatio ſubjecto accidens, fatente ipſo Kekermãno. 5. Vulgò Metaphora eſt ad unũ verbũ contracta ſimilitudo;*

Ai

At hæc non est in vocula est : nam similitudo quærenda est in terminis uno aliquo tertio cõvenientibus.

Objiciunt exempla, 1. Cor. 4. Vos Corinthij estis saturati, pro non estis saturati, ubi sit Ironia in copula. Respondetur : est Ironia in prædicato, pro non saturati. Sic si dicas de Betula: hæc est formosa virgo, Ironia est & in subjecto & prædicato, pro deformis est anus. Sic honos alit artes, vel est altrix artium, tropus est in voce altrix, non in copula. Sed pleraq; exempla tam sacra, quàm prophana, quæ cõtra produci possunt ab adversariis, eide refutata apud Meisner. in Philos. sobr. Anti Calvin. sect. 1. c. 5. quæst. 3.

CAP. IV.

DE REGULIS VARIIS AD intellectum troporum facientibus.

I. DAntur aliquando in unicâ voce plures tropi.

Et tum Leontinus, Valerius & Soarez Metalepsin esse volunt appellandam, ut Eclog. 1.

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.

Quatuor *hîc* tropi in voce aristas. 1. *per Synecdochen intellige spicas.* 2. *per spicas eodem tropo segetes.* 3. *Metonymicè messem per segetem* 4. *Metonym. per messes aëla'em. Sic Aeneid.* 1.

— Speluncis abdidit atris.
Ex nigro tenebricosum, ex hoc profundum docetur.

II. Dantur *sæpè* dictiones ita *cõmunes* significatione *&* amplæ, ut rebus *plurimis* (*rerumque motibus*) *totâ essentiâ* diversissimis propriâ *sua* λέξει tribui possint.

Ob *rerum ipsarum & motuum communitatem.* Quales sunt: Essentia, materia, forma, natura, lux, usus, vis &c. Capere, ferre, lucrari, donare, generare, facere, agere &c. *Aliquando etiam dictiones communitate illâ restrictiores sunt & minùs amplæ, in uno aliquo vel pancioribus nonnullis cum aliis communicantes: Quales sunt, Anima, brutum, homo, leo, aquila, conciliare, mergere, pelle-*

pectere, decoliare &c. Nam pectere habet aliquid commune cum mundare, decollare habet aliquid commune cum abscindere &c.

III. In sacris non statim est tropus, ubi ratio nostra tropum fingit.

In mysteriis enim divinis alia est λόγων διδαξις Spiritus Sancti; alia ἀνθρωπίνης σοφίας, ut habet Paulus 1. Cor. 2. hoc est, dictiones quibus mysteria revelata sunt sanctorum hominum proloquutione, non docent eâ sententiâ & docendi formâ, quâ humana sapientia docenda inserviunt; licet una maneat nativa cujuscunque λόγου λέξις & perpetua.

Hinc cùm scriptura loquitur de nostri in Deo generatione, vita, nutritione, fotu, cibo vel potu, esu vel hibitione, vel alio regiminis Dei intra nos supracœlestis mysterio, imperiti tropum esse autumât, & propriè istas voces tribui rebus sensibilib. & inferioribus, impropriè verò & tropicè Spiritualib. & eminentioribus: quibus tamen proprissimè competunt; & quarum verum simulacra tantùm humana sapientia enunciat. Nam sicut perfectissima Spiritualia

tanquam

eamquã suprema exẽplaria superant sua illa in reb. simulacra & imagines: ita & dictiones ipsa genuinã suã significatione seipsas superãt, quando non his, sed illis docendis adhibentur. Sed hæc altioris sunt indaginis Theologicæ, ubertim, ut speramus, Christianis omnibus propediem aperienda. Exemplo uno breviter rem illustrabimus. Cum in scriptura Deus pater dicitur gignere vel generare filium; Vulgus sapientiũ tropum fingit in voce generationis, quæ propriè tribuatur reb. corporeis animatis, impropriè & tropicè Deo. Quia humana sapiẽtia pervidere non valuit eminentiorem illam cõsummatioremq; generationem. Natura autẽ generalissima generationis est, quòd aliquid ex aliquo proluceat, & proprissimè, primariò & principaliter Deo & rebus spiritualib. ab omni terrena conditione puris, conveniat; vilìori autem docendi habitu, umbratilium rerũ generationi docendæ hæc vox inservit. (Sic non tropicè, sed proprissimè & perfectissimè Deus in sacris dicitur lux, charitas, spiritus &c. & meminit Goclenius ipse probl. Rhet. 76. doctissimi cujusdam interpretis, qui, cùm dicitur Ioh. 1. erat Sermo lux vera illuminans omnẽ hominem, vere & propriè nomẽ lucis accipi asserit, eò quòd naturâ luceat, nõ participatione, sitq; lux proprietate naturæ essẽtiâ ac perfectione) Sic vox generationis quãdo mysterium nostræ in Deo nativitatis docet, generationem incõparabiliter

parabiliter eminentiorem, quàm in humana sapiẽtia, eâ ipsâ nativâ suâ dictione docet. Ita passim ubi Spiritus Sanctus propriissimè loquitur, mens respicientis ad sua cõsueta rationalia dicit esse tropum: ac si verba Spiritus Sancti flecti deberent ad nostros ineptissimos conceptus, cùm potiùs nos in sacris ad sanũ illum loquẽdi modum quàm proximè accedere jubeat Apostolus: nec aliunde institui debebeat ἀνάκρισις de συγκρίσει hac, num simplici vel inflexo usu sit accipienda, quàm λόγοις sacris consultis, citra omnem inflexionem non πειθανοῖς, sed simpliciter διδακτοῖς, quid illi primùm doceant: neq; ἀνάκρισις συγκρίσεων supercœlestium in terrenis quaratur. Infinitis ergo exemplis scripturæ pessimè tropos adfinxit Goclenius in problematibus suis Rhetoricis. Quid? quod etiam intra humanæ sapientiæ limites aliquando dictio non eodẽ docendi habitu res illas diversas docet, quas significationis cõmunitate adæquat. V. g. Dictio Vitæ eâdẽ manente genuinâ ejusdem perpetuâ & unicâ significatione, eminẽtiori docendi habitu vitam hominum edocet quàm brutorum. Licet enim cõmunitas intercedat utriq; participata: nõ tamẽ æqualiter ab utrisq; participatur. Deinde comparatione factâ sapientia cœlestis & humana, dictio vitæ idem significat Paullo

Apostolo

Apostolo & Aristoteli, at aliud apud hunc, aliud apud illum docet: Aristoteles enim eò penetrare non potuit, quo Paulus. Vita namq; quâ homo vere in Deo & Deo ipsi vivit, brutus nõ cõpetit: adeoq; ex hisce fundamentis vivẽs de homine & brutis univoce nõ prædicari colligitur. Quando autẽ in Logicis secus docetur, fit quia vita dictionem cum Aristotele & vulgatâ loquendi consuetudine accipiunt. Sic in humana sapientiâ vox genericè habet unã tantùm λέξιν vel significationẽ; videlicet notat id unde aliquid ducit originem; & sic unum tantùm dicit; at aliud docet in Logicis, aliud in Physicis, aliud in Politicis &c. Quod si ergo in humana sapientiâ, quæ aliis eminentiora sunt, dictionis quâ docentur indolem sublimius aliquid docere efficiunt: quanto magis & quidem infinitis intervallis profunda Dei.

CAP. V.

DE METAPHORA.

RAtione dignitatis, usus frequentioris & dijudicationis facilioris præmittitur Metaphora, & reliqui eo sequuntur ordine, quo subjecimus.

Metaphora (vel translatio) est tropus, quo dictio ad Commune ali-

aliquod rerum in comparationem adductarum docendum adhibetur.

Inflexo hoc usu dictio non rem eam docet, quam simplici usu dicere nata est, sed commune illud in re eadem, cujus ratione fit comparatio cum re alia. *Vt cùm dicitur: Herodes est Vulpes. Comparatio hîc fit inter res essentiâ diversissimas, in communi tamen quodam convenientes videl. astutiâ. Quia verò conjunctio astutiæ cum Herode ita notanda venit, ut auditoris animus vehementiùs eam sibi infigat & concipiat: non dictione astutia, sed rei illius alterius (vulpis) cui communis est astutia, dictione, & quidem inflexo ejus usu notatur, ut mens ad illud quod utrique commune est, concipiendum acriùs stimuletur. Sic cùm dicuntur discipuli Christi Sal terræ. Vide cap. 1.*

Communitatẽ hanc alij Rhetores, similitudinis voce expressêrunt. Vnde Fabio lib. 8. c. 6. definitur brevis similitudo: alias tropus similitudinis

litudinis ad unum verbum contracta. Vt, cùm dico: prata rident: quæ similitudo est hominis ridentis & prati florescentis, ea cõtrahitur ad unum verbum ridere. Sic: ardere irâ, incendi gloriæ cupiditate &c. Metaphora est, similitudine ab igni desumtâ.

Nos olim definivimus Metaphoram tropũ, quo vox mediante aliâ similitudinem aliquâ in re connotante significans pro voce ponitur. Itẽ sic: quo vox mediata pro voce simili immediatâ ponitur. Res eadem est. Sed superiùs data definitio rem illam commodiùs menti præformare videtur. Hinc desumi dicitur Metaphora ex loco similium. similitudinis voce largiùs pro quavis cõparatione in aliquo cõmuni sumtâ, ne paria, imparia &c. excludantur, neq; habeant quod carpat Scribonius, ut fecit in animadversionibus Rhet. pag. 31.

Strictè ergo hoc loco sumitur Metaphora, nõ latè pro quovis tropo, ut apud Aristotelẽ Etymo innixum; nam Metaphora in genere translationem significat.

Desumi potest Metaphora à rebus omnibus, substantiis pariter & accidentibus, naturalibus earumque affectionibus, & artificialibus cujuscunq; classis; *ut superfluum sit cum vulgo Rhetorum ea, ex quibus sumitur, recensere:*

Adde

Adde & impoßibile. Vnde Cic. 3. de Orat. ait ; Nihil eſt in rerum natura, unde ſimile duci non poßit : & addit, infinitos ferè eſſe modos Metaphorarum.

Verùm obſervetur 1. Similitudo intercedat, analogia & proportio. Non enim benè verruca montem denotandum docet, quadrupes equũ; non benè dicitur, amputare Rempublicam pro perdere, poſſundare aut evertere. Iuſto enim minora ſunt. Sic quod Telephus apud Euripidem dixit, imperare remo ; Et ille Timon μισάνθρωπος, raſtro & ligone philoſophari : nimium enim eſt, imperare & philoſophari. Sic ſi bonum famulum appelles generoſum ; bonũ canem planè divinum &c.

Ad Metaphorã referunt ἀνθρωποπάθειαν, qua cum interdum Synecdoche vel Metonymia conjuncta : ut cum affectiones & actus hominum aut aliorum creatorum, item artus &c. Deo tribuuntur. Verùm antropopatia eſt, quando de Deo loquimur vocibus quas intelligimus res ſæculares & corruptibiles denotãtibus; cui tamen mundana & corruptibilia non cõpetunt, ſed tantùm cœleſtia & ſupernaturalia. Hæc autem non revelantur niſi dictis vocibus, quæ ob id depurandæ, & licet idẽ dicant, quod de ſæcularibus dicunt, longè tamen eminentius & ſublimius quid illas ipſas de Deo nos

docere

docere & menti præformare cogitandum. Vide Regulam tertiam capitis quarti.

CAP. VI.

DE IRONIA.

IRonia (*illusio vel dissimulatio, ideoque rectiùs Augustinus antiphrasin appellat 3. de Doct. Christ. cap. 29. & lib. contra Maximinum ad Consentiam cap. 10.*) est tropus, quo dictio ad dissentaneum aliquod vel oppositum docendum adhibetur.

Nullam hic res, quæ comparantur, communitatem agnoscunt sed planè inter se dissident. Unde ad docendam indigentiam ejus quo res destituitur, carere autem minimè debebat, attribuitur rei planè oppositum inflexo dictionum usu, ut contrarium ei quod propriâ dictionis indole dicitur, mens sed excitata & perculsa concipiat atque agnoscat. Exemplum esto 1. Cor. 4. v. 8. Saturati estis, ditati estis, sine nobis regnastis. Id est: Non saturati, non ditati, nec regnastis &c.

In Ironia autem usurpatur dissentaneum pro dissentaneo, *Vt: si Nanum voces Gigantem, aut vice versâ*, & vel maxi-

maximè Oppositum pro Opposito, nempè

1. Contrarium pro Contrario. *Vt: heus bone vir. Vbi bonus pro malo accipitur. Sic cùm dicitur album pro nigro &c.*

2. Relatum pro Correlato. *Vt Dominus pro servo, dare pro accipere &c.*

3. Privatio pro habitu, *vel contra. Vt: Cæcus pro oculato, dives pro paupere &c. & econtra.*

4. Contradictorium pro Contradictorio. *Vt cùm dicimus: non agam, pro maximè agam; vel econtra.*

Dicitur aliàs παράλειψις seu præteritio. Item Ciceroni Reticentia, vulgo Rhetoricorum cum Quintiliano figura sententiæ: quibusdam dicitur Apophasis, cũ negamus id, quod maximè affirmamus. Sensu n. eadem est Apophasis (ut non dicã, pro dicã) cũ paralipsi; ut: mitto, taceo &c. cùm simulamus nos tacituros seu missuros, quæ tamẽ eloquimur. Cujus formulæ sunt: prætereo, mitto, taceo, sileo, relinquo, non memorabo, non querar, non repetam &c. Aliquando interrogativè efferuntur. Vt: Efferãnè? quid memorẽ infandas cædes &c. Aeneid. 8. Huc spectat ἀκκισμὸς, dissimulatio recusantis,

santis, & tamen maximè cupientis, Vt: Vulpecula percutiens caudâ arborem, & nullis decidentibus piris, abiens dixit: non cupio.

Percipitur etiam Ironia & augescit pronũciatione, (de qua in parte Specials) Vnde & Subsannationẽ, quæ gestu magis quàm verbis fit, μυκτηρισμὸν vocant. Quibus omnibus consideratis, inutile fuerit cũ Cicerone, Quintiliano & Keckermanno aliam etiam Ironiâ, quæ in Oratione sit, comminisci. Vnde rectè Goclenius probl. Rhet. 25. Nulla est Ironia sententiæ, sed omnis Ironia est in verbo, etiamsi continuari poterit, *quod declarat exemplo Ciceronis in Verrem. Et Sturmius cap. 9. de universa ratione elocutionis duplicem faciens Ironiam, Verborum & Sententiarum, mox se corrigit, quamquam, inquiens, in Ironia sententiarum etiam verborum inest modificatio.*

CAP. VII.

DE METONYMIA.

METonymia in genere dicta, est cùm usu inflexo usurpatur vel caussæ dictio ad caussatum notandum, & vice versâ, vel subjecti ad adjunctum concipiendum,

endum, & vice versâ, vel totius ad partem designandum, & econtra.

Fundamentum Metonymiæ ita generaliter acceptæ cap. 1. exposuimus. Specialis autem est Metonymia, quæ vulgo solùm Metonymia dicitur, Synecdoche vero alia est pars vel species Metonymiæ. Ex parte hoc agnoscunt alii, qui Synecdochen vel Metonymiæ cognatæ vel specialiter quandâ Metonymiâ vocari posse putarunt. Et ostendunt hoc ipsum exempla eadē ab aliis ad Metonymiam, ab aliis ad Synecdochen relata. Ne verò discentes turbētur, Metonymiæ & Synecdoches receptam quâ vocem & quâ tractationem retinebimus distinctionem in sequentibus.

Metonymia dicta est quasi transnominatio, quia nomina trāsferūtur. Alii denominationem dicunt. Rhetores nonnulli Hypallagen vocant, referente Cicerone, quia verba pro verbis quasi submutātur. Sed ex Etymologia differētia sufficiens nulla a Metaphora haurietur.

Metonymia vulgò dicta est, cùm vox causſæ ad causſatum concipiendum adhibetur, & econtra; vel subjecti pro adjuncto intelligendo, & vice versâ.

Quan-

Quando ex antecedente consequens est elicendum, & vice versâ, alij huc referunt: qui nimirum sententiis etiam tropos per vim volunt intrudere: de quibus infra.

Subjecti & adjuncti vocem hic communi loquendi more usurpamus, non philosophicè.

Usurpatur autem Caussa ad effectum designandum.

I. Efficiens. *Vt, Ioh. 7, 39. Hoc dixit de ipso Spiritu quem accepturi erant ipsi credentes in eum; nondum enim erat Spiritus Sanctus, id est, effectum Spiritus Sancti. Effectus enim impetu urgentiore mentipræstituendus, usu inflexo usurpatâ dictione exprimitur, quæ efficientem ipsum suâ λέξει primò signat.*

Vsurpatur Efficiens 1. principalis, ut: Inventor, autor, scriptor &c. pro inventis, scriptis &c. *ut: Mars pro bello, Bacchus pro vino, Moses pro libris à se scriptis, Virgilius pro libris ejus &c.* 2. Instrumentalis pro re instrumento factâ; *Vt, manus pro scriptura, lingua pro sermone.*

Et huc pertinent Metalepseos species secunda, cùm efficiens pro effectu, & quarta, cùm ex primi

priori posterius significatur, ut, ira pro pœna iram consequente.

II. Materia ex qua, ad materiatum denotandum, *ut*, *æs pro nummis*, *ferrum pro gladio*, (*hoc exemplum duriusculè Melanthon ad Synecdochen refert, ferrum enim pars gladij dici non potest.*) *semen pro posteris &c. Sic semen mulieris Christum menti insinuat.*

Quando enim rem materiâ suâ constantem cum re aliqua comparatam menti vehementius volumus præformare, ut materiæ potissimum ratio ad animum sit sumēda, dictionem materiæ usu inflexo ad conceptum ejusmodi infigēdum usurpamus.

Addunt quidam Metonymiam materiati pro materia, ut pallium pro panno. Sed vix occurrent exempla; Et si occurrent, referri poterunt ad Metonymiam effecti.

III. Materia in qua vel subjectum (*latissimè hic acceptum*) ad adjunctum seu accidens menti infigendum. *Vt, Matth. 5, 29. Eruendus qui scandalizat oculus, id est, adjuncta concomitantia scandalum parientia. Sic Iuvenalis Sat. 2. Qui Curios (id est, temperantes &*

frugales) *simulant*, *& Bacchanalia vivunt. Sic quosdam vocamus Scipiones, Augustos, Trajanos &c.* Huc spectant 1. Continens pro contento: (*Melanthon & alij ad Synecdochen referunt*) *ut, calix vel amphora pro vino vel potu in calice vel amphorâ.* Et contentum pro continente, *ut: Vina coronant, id est, pateras: lares vel penates pro domibus.* 2. Locatum pro loco, *ut: Devastantur Bohemi, pro Bohemia.* Vel Locus pro locato, *ut: mundus pro hominibus, pagus pro rusticis, Dania pro incolis Danis, benè moratæ urbes pro incolis moratis. Sic dicitur domus Aharon in Iehova sperare, Psal.* 114. Vel pro actionibus in loco peractis. *Vt: Consistorium vel curia, pro actionibus inibi habitis.* 3. Possessor pro re possessâ, *ut: proximus ardet Vcalegon, id est, domus Vcalegonis. Quod tamen exemplum durisculum judicat Quintilianus, & vix nisi poëticum. Hominem exsugere, id est, devorare.* 4. Dux pro exercitu. *Vt:*

Alexan-

Alexander vicit Darium. Imperator Romanus Turcas profligavit, id est, exercitûs vel milites eorum. Referri etiam possunt hæc exempla ad Synecdochen partis integralis pro toto. Sed quocunque referatur, Metonymia est.

Vel vice versâ Adjuncti dictio Subjectum *usu inflexo* denotat, *ut mens inprimis excitetur ad adjunctum ipsum in subjecto (quod alteri rei attribuitur & comparatur) quatenus adjuncto ejusmodi subjectum est, potissimùm considerando. Adhibetur autem* 1. habitus vel forma aliqua accidentalis, pro persona habitu præditâ. *Vt: Sapientia pro homine sapiente; peccatum pro peccatore; Superbia in urbe dominatur, id est, superbi. Sic crudelitas pro crudeli, scelus pro sceleſto, sanitas pro sano homine &c. In his enim & similibus exemplis ponitur forma pro formato, ut ita loquar, majori emphasi, quàm si poneretur formatum, v.g. ob peccatum enim dicitur peccator, quod adjunctum est hominis, non*

quatenus hominis, sed quatenus peccatoris. Sic in scripturis dicitur Vnus Deus justificans præputium (id est, ἀκροβυστον vel præputiatum) per fidem, & circumcisionem (id est, circumcisum) ex fide. Item: ut sitis nova conspersio, id est, massa conspersa. Quia hæ sunt abstractæ illæ formæ, quæ rem penitiùs & intimiùs ob oculos ponunt, quàm concreta. 2. Signum pro signato, aut vice versâ. *Vt: Sceptrum pro imperio, toga pro pace, fasces pro imperio, corona pro regno, arma pro bello &c. Miror Keckermannum incommodè dici hanc Metonymiam adjuncti asserere ausum, eò quòd sit Metonymia relati; quo stante, quivis negaverit ipsum esse animal, eò quòd sit homo. Relatio enim est accidentis seu adjuncti species.* 3. Tempus pro rebus quæ in tempore sunt aut fiunt. *Vt: Sæculum felix vel pessimum, id est, homines. O tempora, ô mores! &c. &, ignavis semper feria, id est, otium.*

Tandem effecti voce Caussâ effertur.

tur. *Vulgò dicitur: Effectum pro caussa, ut Christus dicitur restitutio nostra. Vbi restitutionis dictio usu inflexo usurpatur ad ipsam restitutionis caussam potentiùs menti præstituendam.*

Vt eo ipso insinuetur id omne, quicquid Iesus Christus est, nostra restitutioni dari. Cùm enim efficiendi & is omnis in effectu eluceat, potētiùs & urgentiùs illu in effectu velut efficiētiæ ipsius vi & imagine contempланda exhibetur, quoties caussam efficientem menti præstituere volumus cum re aliqua cōparatam. Sic osculamini filium, id est, amate. (Vnde liquet tam verba quàm nomina Metonymiā recipere, frequentiùs tamen nomina) Sic frigus pigrum dicitur, quia pigros facere putatur. Canities est veneranda, id est, senectus. Amor cæcus, pallida mors, adolescentia læta, senectus tristis &c. quia tales efficiunt. Vbi tamen monendum pro ratione subjectæ materiæ tropum aliquando esse in epitheto, ut læta adolescentia præterfluxit, aliquando in subjecto, ut adolescentia non potest non esse læta, id est, adolescentes, voce læti propriè acceptâ: Mors est in olla, id est, aliquid mortiferum. Huc spectat prima Metalepseos species apud Melanthonē.

Huc alij, uti diximus, referunt antecedens pro consequēte, ut: dixerunt, pro, mortui sunt. mundam tunicam abstergit, id est, blanditur.

Discumbere pro cœnare. Fuimus Troës, id est, non sumus amplius. Consequens pro antecedẽte, ut: pallet, id est, amat. Erubuit, id est, facinus patrâsit. At sunt argumenta Logica in hunc usum tracta.

CAP. VIII.

DE SYNECDOCHE.

SYnecdoche vulgò dicta (*vel comprehensio unius sub aliquo*) est, cùm pars seu membrum pro toto vel integro designando ponitur, vel econtra totum pro parte, 1. Integrale, *Vt: Genes. 16, 2. Sara conqueritur se occlusam, id est, partem eam generationi destinatam, quâ occludi potuit. Sic Rhenus pro parte Rheni. Totus mundus ardet bello, id est, maxima pars mundi. Exercitus cæsus, id est, aliqua ejus pars.* 2. Universale, quò spectant, cùm 1. genus pro specie ponitur, *ut: Virtus pro fortitudine, homo pro Catilinâ, Regnum pro Dania, animal pro bestia, stare pro esse in portu &c.* 2. Nomen

men commune pro proprio, *species pro individuo* κατ' ἐξοχὴν, *ut: Apostolus pro Paulo, Orator pro Cicerone, Philosophus pro Aristotele, Poëta pro Virgilio. At si additur talis determinatio, quæ uni tantùm individuo competit, non fit Synecdoche, sed periphrasis, ut virgo Deipara pro Maria. Vel patronymicum loco proprii apud poëtas, ut Pelides aut AEacides, pro Achille: & tum cum Quintiliano Melanthon & alii Antonomasiæ speciem hîc constituunt. Sed tropi citra necessitatem non multiplicandi.* 3. Cùm numerus pluralis ponitur pro singulari, *Vt cùm Cicero de se dixit: Nos Oratores visi sumus. Et hoc usitatissimum est.*

Pars pro toto. 1. Essentialis, *quæ exempla Treutlerus & Keckermannus ad Metonymiam formæ pro formato otiosè referunt. Vt, anima quæ peccaverit morietur, id est, homo. Talia Rhetores quidam ad Metonymiam, quidam ad Synecdochen referunt. Vtrìq; rectè, nam*

& *Metonymia ſpecies Synecdoche eſt, ut ſupra monſtratum.* 2. Integralis, *ut, tectum vel parietes pro domo, miles pro exercitu, mucro pro gladio, puppis vel prora pro navi.* 3. Univerſalis, quò ſpectant exempla, cùm ponitur 1. ſpecies pro genere. *Vt parricida pro homicida.* Vel *quaſi ſpecies pro quaſi genere, ut, ad illum diem Memmius erat Memmius, id eſt, ſibi ſimilis in anteactis. Eſt tropus in voce ultima; ratione repetitionis eſt figura, de qua infra. Pontus pro mari, ſexcenta pro multis, plus millies hoc dixi, id eſt, ſæpiùs. Vbi numerus certus pro incerto ponitur.* 2. Singularis pro plurali. *Vt, Miles Danus adveniebat, id eſt, milites. Hoſtis habet muros, id eſt, hoſtes tenent urbem, AEneid.* 2. 3. Perſona ſecunda ſingularis pro plurali aliqua. *Vt: Magiſtratu opus eſt, ſub quo feliciter degas, id eſt, degamus vel quilibet degat.* 4. Individuum pro ſpecie, & nomen proprium pro communi. *Vt: Cicero pro eloquente, Euclio pro avaro, Cræſus*

Crœsus pro divite, Irus pro paupere, Stentor pro clamoso &c. Sic Cretensis pro mendaci ponitur &c. Et hanc alteram Antonomasias speciem alii constituunt.

Si quaras, annon etiã species pro specie ponatur. Vt, Canis pro homine invido, lupus pro homine crudeli, leo pro forti &c.? Respondetur poni quidem, sed esse Metaphoram, non Metonymiam. Rectiùs quis statueret Synecdochen partis pro parte, quãdo in scriptura anima aliquãdo pro corpore separato seu cadavere ponitur. At non est, quia post separationem nec corpus nec anima partes sunt; quippe tum nullũ totum. Sed nec est Synecdoche partis pro toto; nam nec totũ intelligitur in scripturis illis pro cadavere, nec cadaver est homo mortuus; nec homo, quando mortuus, qua omnia cõtra Goclenium probl. Rhetor. 42. notanda. Verisimilius ergo est in locis ejuscemodi poni adjunctũ (scilicet quod nuper fuit, at amplius non est) pro subjecto, cum anima pro corpore separato ponitur. Neq; hoc inter loquendũ insolens, rem nominare talem, non qualis est, sed qualis antea fuit. Ita enim Matth. 26. Simon apud quẽ Christus conviv̄atur, appellatur leprosus; non quod tum talis fuerit, sed olim. Sic Matth. 11. Cœci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, id est, qui tales fuêre. Sic sæpè aliqua salutatur

meretrix quæ fuit, licet jam non sit. In ejusce-modi exemplis tropum agnoscit Goclenius cum Piscatore, & putat esse Synecdochē generis Catachristicam popularem. Sed cùm non videam quale genus pro specie ponatur, tempus enim præsens pro præterito, non est genus pro specie, sed potius species pro specie; itaq; existimo esse adjunctum (quod nuper fuit) pro subjecto: vel si mavis, signum pro re signata. Cum enim meretricem vocas, quæ fuit, non tamen amplius est, signum est eam talem tamen ante fuisse: ataq; ita Metonymia fuerit, quomodocunq; consideretur, non Synecdoche.

Porrò quærat quis, an Synecdoche sit, cùm duæ partes ponuntur pro una. Ut: Vim & injuriam propulsare, id est, vim injuriosam. Et Virg. Pateris libamus & auro, id est, aureis pateris. Respondetur: rectius figura Grammatica aut Poetica fuerit ἑνδιὰδύο dicta, quando res una per plures voces effertur, tamquā plures res denotantes.

Cap. IX.

DE TROPORUM ACCIdentibus generalibus.

Non hic accidens pro proprietate accipitur, ut censet Keckermannus, sed latissimè pro quovis quod accidit, pro modo vel gradu, ut in hyper

hyperbole; pro rei continuatione, ut in Allegoria &c.

Sunt illa tria potissimùm: Κατάχρησις abusio, ὑπερβολὴ superlatio, ἀλλεγορία, tropus multiplicatus, vel tropi continuatio.

Quæ in tropis quidem omnibus & singulis, sed in aliis crebriùs accidunt. Addunt alii μείωσιν, quæ tamen est species hyperboles; & Emphasin, quæ est tacita quædam vis & significatio, tam in dictionibus simplicibus absq; ornatu, quàm in tropis. Vt Esai. 9. Puer natus est nobis. Vbi nulla inflexio est aut translatio. Sic: ipse Christus hoc dicit.

Catachresis est tropus durior ac inæqualior.

Vt sperare pro timere. Gladius vaginâ vacuus, id est, nudus.

Aliis ἀκυρολογία. Dicitur Catachresis Synecdochica, & Synecdoche Catachristica, cùm Synecdoche durior est, & sic in tropis cæteris. Mirum itaq; Cyprianum Soarez abusionem lib. 3. cap. 5. statuere diversum tropum à Metaphora, cùm & hujus & reliquorũ troporum sit affectio: & quando Metaphora est durior, diversus sanè à Metaphora tropus non est.

Vt autem molliatur nonnihil & quasi corrigatur, adjicitur Epiplexis, præmunitio vel castigatio quædam & licentiæ petitio, hisce ferè formulis: liceat ita loqui, ut ira dicam, ut autoris hujus verbis utar, quasi, velut, tamquam *&c.*

In sacris autem λόγοις ejus quidquam non reperitur, si linguæ proprietas probè observetur.

In aliis nata est Catachresis linguæ luxuriâ nullo in rebus fundamento, ideoque utilitate nullâ vel admodùm exiguâ.

Hyperbole, est quâ veritas superatur rei augendæ vel minuendæ gratiâ.

Dicitur ὑπερβολὴ, quia ultra quàm natura concedit, communitatem rerum, ad mentem eò vehementiùs percellendam ὑπερβάλλει; *ut communitas, propter quam dictionis usus inflectitur, vel tenuis & obscura valdè sit, vel non nisi figmento animi aliqua sit. Sic dicitur* Exod. 3, 17. *terra fluens lacte & melle. Et* 2. Sam. 1, 23. *Saul & Ionathan leonibus fortiores & aquilis velociores.*

Definitũ Ciceroni veritatis superlatio, *alibi*

Trajectio

Trajectio augendi vel minuendi caussâ reperta. Vitiosè ab eodem & Fabio inter figuras refertur, quæ nõ in voce sunt, sed in sententia. Hinc alij nihil minori vitio Hyperbolen Tropũ sententiæ fecerunt, ut Keckermannus & alij. Aliquando in tota Oratione videtur quidem consistere hyperbole, ubi tamen ex Logicis esse potest descriptio, comparatio, argumentum &c. Sic in exemplo: It clamor cœlo, Keckermannus dicit esse tropum in tota oratione, nõ in voce clamoris, nec voce cœli, nec voce ire, li. 2. syst. Rhetor. cap. 8. Respondetur. Non est tropus in tota oratione, nec in voce clamoris: sed ire Metaphora est; Cælo vel ad cœlum est Synecdoche hyperbolica, pro, in altum. Sic de aliis judicandum.

Dicitur *in definitione* superari veritas. *Hinc* tamen hyperbolæ mendacia *propriè* non sunt. *Nam 1. in iis non τὸ ῥητὸν; sed διάνοια spectatur. 2. Non est aut esse debet in iis fallendi propositũ. 3. Nec mentis & dictionis difformitas. 4. Nec erit ultra modũ, licet supra fidẽ sit.*

Estque vel αὔξησις amplificatio, vel exsuperatio, vel μείωσις extenuatio.

Auxesis est cùm verbo utimur veritatem superante, rei augendæ

dæ gratiâ: *Vt scelus pro scelerato, pestis pro pestifero, latrocinium pro cæde, venefica pro mala, asinus pro stolido. Sic sermo Angelorum pro eximio; est metaphora hyperbolica: latro pro improbo, est hyperbolica Synecdoche. Si Æthiopem voces Cygnum, est hyberbolica Ironia; Scelus pro scelerato, est hyperbolica Metonymia.*

Tot ergo hyperboles genera sunt, quot troporum; licet in Metaphoris dominetur hyperbole maximè. It clamor cœlo &c. Cùm mitior est, & intra limites fidei manet, auxesin nonnulli vocant; cùm major, hyperbolen. At majus & minus nõ faciunt differre specie. Quorsum ergo Philippus hyperbolen ab auxesi, ut specie à specie distinguit?

Huc referunt Epitheta digniora; ut homo sapientissimus, ditissimus; & Comparationes, ut Cræso ditior, glire somnolentior, punice aridior; licet in his sit comparatio Logica; juncta cum auxesi in verbo uno.

Ταπείνωσις vel μείωσις est, quâ veritas superatur rei minuendæ & extenuandæ caussâ. *Vt: Erratum pro scelere, liberalis pro prodigo, severus pro*

pro crudeli, parcus pro sordido, vermis pro homine, precari pro mendicare: Conquisitor pro prædone, curiosa pro venefica, perstringere pro vulnerare &c.

Sic extenuatio est, cùm difficultas minuitur unum cũ alio collatum deprimitur, cùm quid vel nimis contemnimus, vel ut inutile deprimimus.

Huic subjicitur 1. λιτότης, diminutio modestiæ causâ usurpata. *Vt: Munera nõ sperno, id est, libenter accipio. Et Cicero: Si quid est in me ingenij, judices, quod sentio, quam sit exiguum. Idem de lege Agrar. Rullus homo nõ cupidus neque appetens* 2. ὑποκορισμὸς, vel simplex in verbis, cùm diminuti à loco primitivorum accipiuntur, ut conviviolũ, offensiuncula &c. vel continuatus aut multiplicatus: ut homo somnium umbræ: ubi non figura, sed duo tropi, in singulis vocibus unus.

Allegoria, *ab* ἄλλο ἀγορεύειν, *aliud dicere, Quintiliano lib. 8. cap. 6. Inversio,* est tropi continuatio *&* repetitio, vel tropus multiplicatus, *vel multi tropi conjuncti.*

Vt apud Horat. nigræ loliginis succum infamiam interpretatur Erasmus. Succus

cus, id est, virus, nigræ, id est, malitiosæ, loliginis, id est, obscurationis & detractionis famæ. Malè ergo à Cicerone Metaphoræ species constituitur: licet allegorias metaphorarum frequentiores esse non inficiemur.

Estque vel plurium troporum coacervatio; ut ex Metonymia & Metaphora. *Vt: Sine Cerere & Baccho friget Venus, id est, sine cibo & vino languet amor.*

In hoc exemplo sitiosè Keckermannus dicit esse allegoriam totius Orationis. Non enim nisi in quatuor vocibus est tropus; nullus in sine, nullus in &. Et Matth. 7, 6. nè projicias margaritas porcis, id est, ne cõmunices pretiosa indignis. In hisce & similibus, singulæ voces majores sunt tropicæ. Tales sunt pleræq; parabolæ in historia Evangelica, quando aliud intelligendũ tacitè.

Vel Metaphorica, ex continuatis metaphoris: *Vt: arbor mala, quæ fructûs bonos non fert, exscinditur, & in ignem conjicitur.*

Et Cic. lib. 3. Orat. Corax Orator excludat (id est, perfectos reddat) pullos (id est, discipulos)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74584197X/phys_0078
DFG

los) è nido suo (id est schola,) ut evolent (id est in forum se conferant) corvi clamosi (id est loquaces rabulæ.)

Vel Metonymica.

Vt: Pluutus: Vulcanum in cornu gerit. Metonymice Vulcanus pro igne vel candela, cornu pro laterna cornea ponitur.

Vel Synecdochica.

Vt. Philosophum (id est Aristotelem) totus mundus (id est magna mundi pars) sitit (id est appetit.)

Vel Ironica.

Vt: Cic. in Clod. Integritas (id est malevolentia) tua se servavit (id est perdidit.) pudor (id est impudentia) eripuit (id est perdidit.) Vita anteacta servavit (id est perdidit.)

Allegoriarũ exempla sacra videantur Esa. 42, 3. (idemq; Matth. 12, 20.) Ezech. 18, 2. Oseæ 8, 7. Matth. 7, 6. & 15. & 23, 24. Act. 9, 5. Gal. 6, 7. & passim alibi.

Regulæ. 1. Allegoria non nimiùm sit frequens, *nè satietatem pariat*; nec temerè à quovis confingenda.

2. Ex quo genere rerum cæpisti in Allegoriis & Metaphoris, etiam

etiam simplicibus, eodē desinas. *Quintil. lib. 8. cap. 6. ne humano capiti cervicem jungas equinam.*

Allegoria obscura dicitur AEnigma. *Vt: Mater me genuit, eadem mox gignitur à me, id est, glacies.*

Sic: Vidi hominem (id est, Cheirurgum Synecdochicè) qui as (id est, cucurbitulas Metonymicè) homini igne agglutinabat (id est, apponebat Metaphoricè.) Aenigma cōtinuatione quamdam troporum esse fatetur ipse Keckermannus. Aenigmatum autem usus in soluta Oratione rarior sit, nec adhibēdus, nisi cū gratiam singularem habet. Vnde Fabius: Ænigma in sermone vitium magis est, quàm virtus. & In sacris ænigmata rhetorica sunt rarissima. In historia Simsonis Iud. 14, 14. exstat unum.

Notandum autem, quando in sacris mentio fit ænigmatis, ut 1. Cor. 13, 12. cùm dicimur videre per speculum in ænigmate, non id denotari voce ænigmatis, q in Rhetoricis profanis. Sed videre in ænigmate est res altiores & divinas inferioribus vocibus, quæ res externas & seculares denotant, contemplari. Omnia enim nostra verba & λόγοι quando sapientiam cœlestem proloquuntur, sunt ænigmata: id est, obscurius rem explicant: omnia namque ea quæ sensibus

sensibus patent, & per eosdē menti cordi sunt obvia, mente tū seponendu & remouēda sunt: & nihilominus idipsum, quod dictiones eloquuntur, acceptandum credendumq; est.

CAP. X.

DE TROPIS TAMQUAM peculiaribus vulgò existimatis.

ADdiderunt *alij hosce sequentes tamquam tropos:*

1. Antonomasian *vel nominis permutationem. Vt, cùm nomen commune pro proprio ponitur aut contrà. At supra in Synecdoche hæc inculcata.* 2. *Quando pro nomine ponitur definitio, descriptio vel etymologia. Vt habitus instrumentalis ornatè dicendi, pro Rhetorica, Trojani belli scriptor, pro Homero. De viro sumta, pro viragine.*

At sunt Logicæ definitiones, descriptiones & etymologiæ, ex quibus tropos non desumi supra diximus. Et quid hic ornatus Rhetorici? Vox præterea rem aliam significans, non ponitur pro voce: Sed utraq; vox rem unam eamdemq; significat.

2. Metalepsin *vel transumtionem, cùm ponitur effectum pro causa, vel causa pro effecto. vid. supra in Synecdoche.*

3. Ono-

3. Onomatopœian vel novam nominis cõfictionẽ, sumtã à sono, similitudine naturæ & morum, vel aliâ quapiam proprietate. Græcus inter maximas habebatur virtutes. Latinis parcissimè permittitur, quia in his nõ ita felices, ut Græci: iis tamẽ venerũt mugitus, murmur, sibilus, vagitus &c. Recẽtiores rarissimè innovant. Apud Taubmannum tamẽ reperio in versibus tiretirelire, pro alaudæ cãtu. Bombardam Cornel. Valerius vocat novum & durum verbum; sed res etiam talis est. Ita enim & novis vocabulis multis hodie necessariò utimur: Qualia sunt: Papa, Cardinalis, Abbas, Lantgravius, Burgravius, Marchio, Baro, Superintendens, Scabinus, Pedellus, Amirallius, Marescallus, &c. de quibus Ad. Th. Siberus in Comment. Rhetor. Quando autem dicitur Cãtor hoare, jam non est Onomatopœia, sed Metaphora à bobus ducta. Sic Onomatopœia est: Balatus ovium, taratantara pro tubarum sono.

Atqui hoc nomen nihil aliud immediatè significat, sed est nativa significatio ejus clangoris. Ergo nullus tropus. Vnde voces ejuscemodi Cicer. 1. partition. novatæ dicuntur atque à translatis & tropicis distinctæ.

Vitium est: si composita confingantur, ubi non opus, ut cœlum dicere multipersonatum, propter multas facies stellarum; adulatorem, doctimendicum; id quod finem adfert, terminiferum &c.

4. Epi-he-

4. Epitheton, *vel adjectiuum aliquod additum. Vt Sanctus Paulus &c.*

Resp. 1. aliquãdo epitheton, ut calidus ignis, additur simpliciter absq; ornatu & tropo. Et tum rectè Valerius in tab. Rhet. pag. 66. Epitheton, quia nihil verè at, nõ video quomodo tropus dici possit. *2. Aliquando tropicè: ut effrenata libido, & ad tropum aliquem pertinebit, ejusvè affectionem.*

Epitheta autem sint 1. accõmodata, ex analogia ducta, non contraria. 2. non longa, intẽpestiua, otiosa, nimis crebra. Iis enim utendum ut condimentis, non ut cibis; secus quàm fecit Alcidamus; nec enim dixit sudorem, quin adjiceret humidum &c. In Poësi autem magis licitus epitheterũ usus. Otiosa apud Oratores vituperantur.

5. Tapinosin, *de qua in Hyperbole.*

6. Emphasin, *de qua supra.*

7. Periphrasin, *Vt diligens differendi ratio pro Dialectica, Studium sapientiæ pro Philosophia &c.*

R. nulla vocis alicujus translatio. Ponũtur ergo pro definito definitio, pro nomine notatio &c ex Logicis, ut supra dictũ. Interim periphrasis tropo fieri potest, ut: Metaphorica: Piscatores hominum, pro Apostolis. Cùm in vitiũ incidit, dicitur Perissologia, rerum superuacuarũ expositio. Vt si pro ventriculo dicas coriaceam ollam naturalis digestionis: pro scamnis intestina

na hypocausti: pro struthiocamelo, avem magnam, quæ non volat, & cujus pluma gestatur in galeis & pileis: pro cultro, instrumentum scissorium, transferendis alimentis ad os aptum: Aliaq; futili garrulitate in colloquiis risum, in Orationib. explosionem merētia. Adhibetur interdū necessitatis caussā, ut vitētur turpia. Vt, Ire ad requisita naturæ, pro cacare aut mejere.

8. Hyperbaton, est cùm dictio longiùs à suo loco transgreditur. Vt Rom. 5. Sicut per unum hominem peccatum introiit in mundum &c. longo intervallo post subjicitur ἀποδοσις: Sic per unius justitiam &c.

Resp. Constructio Grammatica est & periodus longior. Hinc aliis Hyperbaton est ordinis Grāmatici perturbatio seu immutatio, cujus formæ sint 1. Anastrophe, verborum inversus ordo: ut Italiam contra. 2. Tmesis seu Diacope, sectio, vocis compositæ per unum aut plura interjecta divisio, ut: septē subjecta trioni. 3. Hysterologia. Vt: Qui ad veneris urbem, pro ad urbem. Quando sensuum & rerum est, cōmutatio dicitur. 4. Hysteron proteron seu prothysteron, quando quod secundo loco fit, priori ponitur. Virg. – altos tetigit fluctus: & ad æquora venit. 5. Hypallage, cùm Oratio mutato rerum ordine effertur. Vt, date classibus austros, id est, classes austris. Ibant obscuri sola sub nocte,

re, id est, soli sub obscura. 6. Parenthesis. 7. Synchysis, cum omni ex parte verborum ordo perturbatur. Vt Horat.

Namque pilâ lippis inimicum & ludere crudis. Ordo est: Ludere pilâ est inimicum lippis & crudis.

9. Ænigma, de quo in Allegoria.

10. Prove bium vel Paroemiam, aliàs adagium, dictum aliquod celebratius. Vt: Difficilia quæ pulcra. Ne quid nimis. Pares cum paribus facile congregantur. &c.

Resp. aliquando est simplex gnome vel sententia sine tropo, ut in allatis exéplis: aliquãdo Metaphora allegorica: ut modicum fermenti totam massam inficit. Aliquando similium protases &c.

11. Apologos vel narrationes, tribuentes inanimatis vel brutis hominum mores, sensus, studia, orationem &c. ut in Comœdiis & Tragœdiis, fabulis poeticis, & aliis mythologis &c. Sed hæ & consimiles sunt allegoriæ.

12. Parabolas vel similitudines, à variis rebus sumtas

Resp. supra ad allegorias retulimus plerasq;.

13. Sarcasmum, qui tamen quando tropicus, est ironia acerbior, insultans calamitate oppressis. Vt: Si filius es Dei, descende de cruce. Ac si dicerent: non es filius Dei &c. Sic: Vbi (id est, nullibi) nunc mors aculeus tuus?

14. Antiphrasin vel dictionem per contrarium

rium intelligendam, Vt: Parcæ quasi minimè parcæ vel parcentes. Sed Antiphrasis est impositio nominis vel notatio Logica a contrario; neque tamē ob id Ironia, ut Keckermannus & alii volunt, quia vox Parcarum nō adhibetur ad aliud docendum, quàm quod natiuâ λέξει dicit, nempe Deas non parcentes.

15. Μυκτηρισμὸν, de quo in Ironia.

16. Ἀκκισμὸν, ibidem.

17. Mimesin, quâ alterius verba aut gestus imitamur. Hac nōnunquam prosopopœiæ subjicitur, aliquando Ironiæ.

18. Ἀστεισμὸν, qui est longè petitus & ἀπροσδόκητος jocus, Vt: qui Bavium (malum poëtam) non odit, amet tua carmina Mœvi (pejor,) At hic absq; tropo fieri & esse potest, (Vt datum exemplum est protasis similitudinis) uti &, quem in tropis posuêre

19. Χαριεντισμὸν, cum dura minanti & irato mollioribus verbis per jocum respondemus. Vt: Heus bona verba quæso. Tropus autem si accedit, Ironiæ exsurgere possunt species.

20. Diasyrmon, irrisionem, cùm ludentes, quæ ab adversariis dicuntur, dissolvimus. At sine tropo etiam fieri potest.

Atque hactenus de tropis, vel Suada interna, seu ornatu interno verborum singulorum primario,

mario. Sequitur figura vel ornatus in continuatione verborum, seu sermone.

CAP. XI.

DE FIGVRIS IN GENERE.

FIgura est pars Suadæ internæ primariæ vel ornatus primarius vocum significantium conjunctarum, quas vel in se vel in sensu respicit; ad auditorem permovendum.

Definitum Græcè σχῆμα (voce ex theatris sumtâ) forma, habitus, color & dignitas, nempe Orationis. Quia præter Grammaticam nuditatem & simplicitatẽ orationi ornatum aliquẽ addit, quo quasi vestiatur & insigniatur.

Vnde definit Leontinus, *quòd sit locutio, quâ Orationis habitus à rectâ & simplici consuetudine cum venustate & gratia recedit.* Soarius *cum* Quintiliano: *quòd sit conformatio quædam orationis remota à communi, & primùm se offerente ratione.* Leonino *est loquendi forma ad aliquem usum necessariũ vel utilem, sive ad venustatem novata, & præter vulgarẽ modum assumta, vel notabilem aliquam pro-*

prietatem habens præter simplicem significationem.

Intellige hîc figuram strictiùs sumtam, non latè pro quavis figurata locutione, tropicam etiam includente, uti latâ sumtione utimur in vulgari loquendi consuetudine.

Genus est pars Suadæ internæ primariæ, vel ornatus primarius: nam Tropicus est altera pars Suadæ dictæ vel alter ornatus primarius.

Differentia sumta est ex materia vel subjecto, nempe verbis conjunctis, *sermone sententiâ, oratione seu vocum continuatione. Sicut autem omnis oratio; ita ejus ornatus figuratus versatur vel in verbis ipsis, significantibus tamen; vel in sensu. Vnde*

Duo genera figurarum *vel ornatus sermonis.* 1. Vocum ipsarum conjunctarum. 2. Sensus. Illas figuras dictionis vocant, (*rectiùs conjunctarum vocum, cùm dictio etiam simplicem terminum denotet, in quo tropus:*) has sententiæ. *Græci significantiùs hæc enunciant, quòd figuræ videlicet vel sint τῆς λέξεως, dictionis, scilicet continuatæ; vel τῆς διανοίας, sensus, mentis, significationis &c.* Dif-

Differt ergo figura à tropo. 1. hic est unius vocis, illa plurium. 2. figura esse potest in vocibus simplici usu sine inflexione usurpatis, tropus non item.

Coire tamen frequenter possunt in eamdem sententiã figura etiam utriusq; generis & tropi. Vt: Nunc verò quid agat, quid quotidie ruminet, quẽ ignorare nostrũ putat? 1. est Metaphora in ruminãdi voce. 2 figuræ primũ genus, repetitio. 3. Alterũ figuræ genus, interrogatio.

Differt figura Rhetorica à Grammatica: Hæc in una voce est, cujus *tamen non significationem* concernit, *ut tropus, sed* vel literã *(ut addendo, gnatus pro natus in prosthesi; auferẽdo, consili pro consilii in apocope; mutando, ut olli pro illi in Antistoecho; vel transponendo, ut tymbre pro tymber in Metathesi)* vel syllabam, *(ut auferendo; ponere pro deponere, in Aphæresi, & dixti pro dixisti in syncope: addendo; ut convellier pro convelli in proparalepsi, & Mavors pro Mars in Epenthesi)* vel affectionem *aliquã* Grammaticam *in constructione, & vocant figuras Syntacticas, sicut priores Etymologicas, de quibus videantur Valerius & alij.* 1. casum: *ut Vrbem (pro urbs) quam statuo vestra est. quò Hypallage spectat, ubi plures diversi casus pro plurib. diversis ponũtur, ut inverso ordine proferatur sententia. Vt apud Cicer. Quis alligavit generũ meum gladio (pro genero gladium)*

dium) &: Date classibus austros, id est, classes austris. 2. numerum, *ut turba ruunt, pro ruit &c. quæ omnia ex Grãmaticis petantur accuratè: Hinc non ineptè Leoninus figuras Grammaticas vocavit dictionis & cõstructionis, Rhetoricas significationis: quãvis Rhetoricæ, quod non animadvertit, etiã sint dictionis, scilicet continuatæ.*

Figuræ ergo sunt duplices: Vel in Oratione ipsa seu vocibus conjuncti, vel sensu eiusq; summâ.

Aliis ita: vel dictionis vel sententiæ; sed nimis ambiguè. Nam dictio etiam de unica voce dicitur, ubi tamen tropus locum habet, nõ figura: sententia etiam non sensum & significationem tantùm notat, sed etiam ipsum sermonẽ, quà verba consideratum.

Differunt figurarum hæc duo genera. Primum in verboum ordine, eleganti & cõcinno ita est positũ, ut si verba mutaveris, figura pereat: Secundũ; quibuscunq; utaris verbis, permanet, ut in supra dato exẽplo. Quid agat, ac ruminet, quem ignorare nostrum putat? repetitio tollitur, interrogatio permanet.

Quod in vocibus est, primũ genus vocamus, facilitatem sequuti; aliàs cum Fabio figuras significationis vel sensus præmitti possent, quia animo res concipere, naturâ prius est, quàm enunciare.

Sit

Sic autem figurarum usus 1. Parcus, *instar condimenti, non cibi, ad jucunditatem non ad satietatem*; Parcior adhuc figurarum ejusdem generis: *quia satietas ut paucitate, ita & varietate vitatur. De nobilioribus autem & insignioribus hoc dictum puta: nam valde usitatæ & vulgares, ut crebriores, consuetas tamen aures minùs ferunt.*

2. In loco, id est, cum judicio, *& cùm res poscit. Abusus enim esset ridiculus, si 1. rei gravitatem aliquam jocis diminueremus, rerumque neglecto pondere, inania verba in hos modos depravaremus: non enim quærendus habitus vel gestus sine corpore. 2. In re levi inania ex figuris tonitrua concitaremus. Summa.* Considerandum quid res, persona, tempus, locus &c. postulent.

CAP. XII.

DE FIGVRIS DICTIONIS continuatæ.

FIgura verborum dictionis continuatæ

nuatæ *Quintiliano* fit *tribus modis*: *Adjectione, detractione, similitudine. Sed tertia species est supervacanea, nec reliquis rectè contradistincta, sufficiunt duæ priores.*

Adjectione, ut Repetitio.

Detractione, ut Asyndeton, Zeugma, Eclipsis.

Similitudine, ut Homœoptoton, Homœoteleuton, Paronomasia, Isocolon. Quæ tamen ad repetitionem referri possunt, ut nos faciemus.

Usus *figurarum dictionis continuatæ*: ut sint quasi gestus & habitus quidam orationis. *Similiter cadentia, desinentia, Isocola, Annominationes, lusum quendam præ se ferunt. Anaphoræ, Anastrophæ, Antitheta, & similes, vim etiam habent ad movendos affectus.*

Repetitionis species sunt *sequentes.*

1. Epizeuxis (*subjunctio ab* ἐπιζεύγνυμι, *subjungo, adjungo*) *alias Palilogia, Mancinello & aliis Combinatio, est* cùm eadem vox statim aut paucis saltem

tem interjectis, cum impetu subditur. *Et* vel amplificandi caussâ : *ut Occidit, occidit.* vel miserandi : *ut Ah Corydon, Corydon &c.* (*Malè à Leontino ad Epanalepsin refertur*) *4. Georg. Virg.*

Mater Cyrene mater *quæ gurgitis alti*
Ima tenes.

vel irridendi &c. *Hermogeni dicitur ἐπαναστροφὴ & παρήχησις.*

Dictio eadem, *ut in exemplis supra.* Statim, *ut supra.* Paucis interjectis; (*quidam vocant tum διακοπὴν, separationem, & διαστολὴν, quæ tamen interpositio novam figurâ non constituit.*) *ut supra, aut si parenthesis interjiciatur, ut pro Marcello:* Totum *hoc quantumcunq; est,* (*quod certè maximum est*) totum *est, inquam, tuum. Et talia Valerius vitiosè ad Epanalepsin refert Grammaticam.*

Quando Epizeuxis cum impetu quodam & contentione usurpatur, vocat aliqui Epimonē. Vt: Vos, vos, *appello fortissimi viri.*

2. Anaphora (*relatio, ab ἀναφέρω, refero, quòd sonum eumdem referat*) vel Epanaphora (*repetitio*) est, cùm eadem sententia, vox vel sonus in principiis sententiarum iteratur. 5

Sententia, & *dicitur Epimone*, *qualis est versus ille Virgilianus* :

Incipe Maenalios mecum mea tibia versus.

Vox: *ut Cicer.* Verres *calumniatores adponebat*, Verres *de caussa cognoscebat*, Verres *pronunciabat.*

Vbi simul est Epistrophe soni. Psalm. 117, 15. Dextra *Iehovæ fecit fortitudinem*: Dextra *Iehovæ excelsa*: Dextra *Iehovæ facit fortia*: *Hæc vocis repetitio illustrior est & frequentior. Aliquando alterna tantum est verborũ repetitio, monente Quintiliano, qui hoc exemplũ subjicit*: Tu *actionem instituis, ille aciem instruit*: tu *caves nè consultores tui, ille nè urbes aut castra capiantur*: *Ille tenet & scit ut hostium copiæ*, tu *ut aquæ pluviæ arceantur & c.*

Sonus : *Vt* : *Cicer. vexaRI Rempubl. contemNI Majestatem populi Romani, deluDI vosmetipsos diutiùs à tribuno plebis patiemini?*

6 3. Anastrophe ἐπιφορὰ *Rutilio*, *vel* ἀντιστροφὴ, Epistrophe *vel Epiphora* (*conversio*) est cùm idem in clausulis repetitur. 1. Vox, *ut* : *Hic juvenis reliquos diligentiâ* superat, *eruditione* superat,

perat, *modestiâ* superat. *Pœnos populus Romanus justitiâ* vicit, *armis* vicit, *liberalitate* vicit. 2. Sonus: *ut*, *Ecclesia oppug*NATUR *non expug*NATUR, *pre*MITUR *non oppri*MITUR.

Quando definitur simili sono casuum, dicitur Homœoptoton, *similiter cadens*. *Vt*, *hominem laudas egentem virtute*, *abundantem felicitate*. Quando *finitur sententia simili sono vel* verborum vel vocum indeclinabilium, *ut adverbiorum &c.* vocant Homœoteleuton, *similiter desinens*. *Vt*: *turpiter audes facere*, *nequiter studes dicere*. Ubi quando membra Orationis pari ferè syllabarum numero constant, dicitur Compar *vel* Ισόκωλον. *Vt*: *nec reipubl. consuluisti*, *nec amicis profuisti*, *nec inimicis restitisti*. *Græci vocant etiam* Πάρισα, *id est*, *similia*, *sive æqualia membra*, *ut verba verbis quasi dimensa & paria respondeant*. *Et cùm tribus constat membris*, *dicitur* τρίκωλον;

quamvis & singulis verbis fiat: Vt, abiit, evasit, excessit, erupit.

Anaphora & Anastrophe quando concurrunt, dicitur

8 4. Symploce, συμπλοκὴ, complexio autori ad Herennium, cùm idem in principiis & clausulis iteratur.

Admodum vitiosè Keckermanno in Rhetor. Epanalepsis duplicata, cùm idem in sententiæ initio & fine non repetatur; sed idem in principiis, & idē in clausulis: & nescio, quid hic autori isti in mentem venerit, cùm ab Epanalepsi discerni non posse scripsit Symplocen, sive conjunctam cum Epistrophe Anaphoram.

1. Somus: *Vt Cicer. Agrar.* 1. *Spem improbis ostendistis: timorem bonis injecistis: fidem in foro, dignitatem de Republ. sustulistis.*

2. Vox. *Vt*: 2. *Cor.* 9. Qui *seminat parcè, parcè etiam* metet. Qui *seminat copiosè, copiosè etiam* metet. *Et Cic. Agrar.* 2. Quis *legem tulit*? Rullus. Quis *majorem populi partem suffragiis privavit*? Rullus. Quis *comitiis præfuit*? *idem* Rullus.

3. Periodus: *at Daniel.* 3 58. Benedi-

cite

cite *Angeli Domini* Domino: Laudate & exaltate eum in fæcula. *v.* 59. Benedicite *cœli* Domino: Laudate & exaltate eum in fæcula. *v.* 60. Benedicite *aquæ supra cælos positæ* Domino: Laudate & exaltate eum in fæcula. *Huc pertinet Canticum trium in fornace Babylonicâ.*

5. Epanalepsis, *Hermogeni etiam κύκλος, & Sturmio Circulus, aliis item Epanadiplosis (resumptio, ingeminatio, vel Cic. conduplicatio)* est, cùm in initio & fine repetitur idem.

1. Sonus: *ut Verr. 4. Saluti eorum potiùs consulam, quàm voluntati.*

2. Vox. *Vt*: Pauper *amet cautè, timeat maledicere* pauper. *Dicitur hæc species aliàs Circulus Oratorius.*

3. Voces plures: *Vt*: Cognitum est *te Rempubl. venalem habuisse*, cognitum est.

6. Epanodos (*regressio, Rivius & nonnulli alii hanc cum Epanalepsi videntur confundere*) est, cùm in princi-

pio & medio ; vel in medio & fine iteratur idem 1. Sonus. *Vt: habuit honorem ut prodi or, non ut amico fidem.* 2. Vox; *etiam cùm casibus variatur.* Propertius: *Hujus* ero *vivus, mortuus hujus* ero. *Item: Reddite* Cæsari, *quæ sunt* Cæsaris, *&* Deo, *quæ sunt* Dei.

Aliquando duplicatur, *& dicitur* μεταγωγὴ, παραγωγὴ, μεταβολὴ, *traductio, quæ non peculiaris à regressione faciēda figura, ut facit Melanthon. Vt: Eum tu* hominem *appellas, qui si fuisset* homo, *numquā tam crudeliter vitā* hominis *petiisset.* Aliquando ordine decussato fit *hæc* repetitio. *Vt: Cic. Gratiam qui* habet, refert, *& qui* habet, *in eo quod* habet, refert.

4 7. Anadiplosis *Aquilæ dicta, reduplicatio Martiano Capellæ, Conduplicatio aliis, ut Valerio,* est cùm idem finis est unius sententiæ & principium sequentis. *Vt Virg.*

---*Sequitur pulcherrimus* Astur,
Astur *equo fidens.*

Rom. 10, 17. *Fides est ex* auditu; auditus *verò per verbum Dei. Repetitio*

ergo

ergo hîc est in diversis sententiis, non unica, ut in Epizeuxi. Anadiplosis Hermog. κύκλῳ καὶ παρεισωσις. Quando continuatur hæc figura vel multiplicatur, dicitur

Climax vel gradatio, Hermog. κλιμάκωσον, aliis ἐπιπλοκὴ seu scala, Scal. Concatenatio, in qua non refert, levem nonnumquam esse verborum & sonorum similium transpositionem. Vt Eclog. 2.

Torva leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam,
Florentem cytisum sequitur lasciva capella.

Cicer. Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit. Sic: Rom. 5. Afflictio patientiam parit, patientia probationem, probatio spem, spes verò non confundit.

Ab hac non differt Epiploce Rutilij Lupi, antiqui Rhetoris. Vt: Expugnavit domum, expugnatâ vi domo familiam abstraxit, abstractam tormentis omnibus excruciavit.

Quando non in verbis, sed in sensu consideratur, dicitur Gradatio, *cùm ab aliis ad alia quasi*

quasi per gradus pergimus, ad pingendam ornandamq; Orationem. Sed in Oratione semel aut bis tantùm usurpetur; nisi enim parcus sit usus, apertior fit ars & affectatior.

Differt à Sorite in Logicis. 1. Sorites respicit illationem quæstionis dubiæ: Climax non; sed tantùm ornatum sermonis. 2. Climax non repetit in conclusione principium, conjungendo subjectum primæ propositionis cum prædicato ultimæ, ut Sorites.

8. Polyonymia (*perperam Soario & aliis Synonymia*) *dicitur etiam Epexegesis, interpretatio*, est quando plura verba idem significantia glomerantur, *id est, idem sensus pluribus verbis effertur. Vt Cicer. Abiit, excessit, evasit, erupit. Item: flentes, plorantes, lachrymantes.*

Huc refer Leontini peculiarem speciem, quam disjunctionē, alyton vocat, quâ singulis sententiis suum tribuitur verbum; quod uno verbo præstari poterat. Vt Cic. pro Archia. Hūc Colophonii civem esse dicunt suum: Chïsuum vendicant: Salaminii repetunt: Smyrnæi verò suum esse confirmant. Est q; Hypozeuxis contraria Zeugmati.

9. Pleonasmus est ubi verba quædam

dam abundant, *vel minimè necessaria & ex ipso sensu intelligenda adduntur. Vt: hisce oculis vidi. Sic ore loquuta est.* Quando conjunctionum est abundantia, dicitur Polysyndeton. *Vt Livius: Somnus & vinum, & epulæ & scorta, & balnea, corpora atq; animos enervant.*

Si verò eadem vox sine singulari Emphasi iteratur, non figura, sed vitium orationis oritur, Tautologia.

10. Polyptoton, *Rutilio* πολύπτωτον, *Hermog.* πολυπτωσία (*Casuum varietas & multitudo, Cic. casuum Commutatio. Intellige autem per casum cum Logicis, quamcunq; inflexionem nominis, verbi, adverbii &c. Numerum, casum gradum, genus personam, tempus, modum &c.*) est cùm voces ejusdem originis variis casibus vel inflexionibus repetuntur. *Vt Gell. lib. 8. cap. 2. Qui nihil habet in* vita *jucundius* vitâ, *is cum virtute* vitam *non potest colere.*

Item: Cic. pro Archia: Pleni *sunt omnes libri* plenæ *sapientum voces*, plena *exemplorum vetustas.*

vetustas. Spectantem *specta*, ridentem *mollia* ride. *Non ut eadem vivo; sed ut vivum, edo. quod exemplum diversâ considerationè etiam ad Antimetabolen cum Melanthone infra retulimus.*

Dicitur ab aliis Traductio, μεταγωγὴ & παραγωγὴ, *quæ minimè cum Leontino & Soario diversa facienda à Polyptoto. Vnâ verò figuram hinc rectè facit Valerius. Inflexiones adverbiorum hic etiam intelligendæ: ut humanè, humaniter, humanius &c.*

II. Antanaclasis, *reverberatio*, est cùm vox aliqua iteratur, mutatâ significatione vocis.

Vt, eas res cura *(curabis) in quibus nulla* cura *(scilicet est.) Iucundum est* amari *(diligi) si curetur, nè quid insit* amari *(amaritudinis.) Itim*: veniam *(venturus sum) si impetravero* veniam *(indultum.)*

Quãdo propriis aut quasi propriis maximè fit nominibus, ut idẽ verbum bis positũ, prius personam, posterius mores aut qualitatẽ significet, Ploce *dicitur, Copulatio*, πλοκὴ, *quam vulgus Rhetoricorũ diversam speciem ab Antanaclasi sitiosè constituit. Malè etiam alij ad Epizeuxin, ad Epanalepsin alij referunt. Vt*

Rom. 9.

Rom. 9. Non omnes, qui sunt ex Israël, sunt Israël, id est, fideles. In tumultu civium cõsul erat consul, id est, benè consulens, prudens, fortis, ut decet consulem

Quando verò in sensu non tantùm diverso, sed etiam contrario vox repetitur, dicitur Rusiniano Antistasis. *Vt:*

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

12. Paronomasia, *prosonomasia, agnominatio, Hermog. etiam* παρήχησις, est repetitio syllabæ vel syllabarum in vocibus diversum & plerumq; contrarium significantibus. *Paronomasia vel allusio literæ aut syllabæ* fit 1. Additione *vel adjectione, ut: hic* mero, *non* Homero *dat operam. Et: Emit* morte *immortalitatem.* 2. Detractione, *ut: non exigo, ut immoriaris legationi; immorare. Huc refertur Echo, Vt: dic mihi quêis sordet vox Ciceronis? ὄνοις.* 3. Commutatione, *ut: Pœnitentia sera rarò vera; vera tamen numquam sera. Omnis amans amens. Omnis honos onus. Non orator, sed potiùs arator est. Delige quem diligas. Non decet nobilem esse*

esse mobilem. 4. translatione. Vt, Videte ut ū homini navo an vano credere malitis. 5. Additione & commutatione simul. Vt: Malo habere quàm avere.

Detractione sequentes fiunt figuræ.

1. Asyndeton, quod & nonnunquam διάλυτον, dissolutum vocatur, est conjunctionis intermissio. Vt: Adfui, vidi, notavi, memini. Item: Veni, vidi, vici. Nec in singulis tantùm verbis, sed etiam sententiis. ut Cic. pro Archia: Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant.

Malè Valerio & aliis dicitur articulus, qui Ciceroni idem est ac incisum. Opponitur polysyndeto. Sic Terent. Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, prosternerem. Hic si addatur conjunctio, perit impetus ille & ardor orationis. Asyndeton & Polysyndeton malè Talæus ejusq; sequaces ad Anaphoram referunt.

2. Eclipsis vel Ellipsis, cùm vox aliqua subintelligenda deest. Vt rectà ad me venit, scilicet viâ. Ego te fustibus, scilicet

licet excipiam. Ita ferunt, scilicet homines.

Vide plurima exempla apud Valerium. Si plura desiderãtur verba, aut incertũ est quod tacetur, dicitur Aposiopesis, *Quintiliano reticẽtia, interruptio, vel præcisio, ut autor ad Herennium vocat, Celso cõticentia. Vt* Quos ego. *Scilicet graviter punirem. Talia imperfecta membra Græci vocant ὀκνηταπόδοτα. Isa. 6. Sed tu Domine usq; quo? scilicet differs auxilium. Præcipuè autem propter affectum aliquem sermo interrumpitur, aut sententia aliqua pars præciditur. Aliqui Eclipsin non vocant, nisi cùm in vitio est; figuram verò Synecdochen appellant, non tropum, sed vocum conjunctarum figurã, cùm subtractum verbũ aliquod ex cæteris intelligitur. Ellipsi opponitur Pleonasmus.* 11

3. Zeugma *Rhetoricum vel adjunctio* est, cùm verbum ad diversa ita refertur, ut omnibus conveniat, sed non mutatum (*in Grammatica autem non nisi mutatũ. ut Terent. Locus, tẽpus constitutũ est. Virg. Hîc illius arma, hîc currus fuit.*) *ut Defloresceit formæ dignitas aut morbo, aut vetustate.*

Si verbũ antecedit, dicitur Prozeugma, ut in-

in dato exẽplo. Si interponitur, Mesozeugma. ut forma dignitas aut morbo defloreſcit aut vetuſtate. Si in fine, Hypozeugma. Alias figuras, quæ propriiſſimè ad Grammaticam ſpectant, hic referre non libet.

CAP. XIII.

DE FIGURIS SENSUS SEU ſententiæ in genere.

FIguræ ſenſus, quas ſententiarum vocant, non in verbis, ſed in ipſis rebus quamdam habent dignitatem. *Eſtque hæc figura quaſi ſumma ſenſus unico verbo expreſſa.*

Philippus *& alii novem conſtituunt.*

Cicer. *3. de Orator. 48 & de orat. ad Brut. 45. figuras ſententiarũ enumerat, & prater eas*

Fab. *cap. 2. lib. 9. tres novas & 40. adjunxit, teſte Claud. Minoch.*

Alii *Rhetores* cum *Cornelio* Valerio *& aliis tertium adhuc figurarũ ordinem addunt, praeter dictionis & ſententiæ, videlicet amplificationũ, quib. oratio exaggeratur, easq; Valerius & Dietericus ex locis Dialecticis ordine depromunt, Valerius ex iiſdem locis, ut probationes ita amplificationes deſumi ait: ex loco definitionis, figuras: Auxeſin, Tapinoſin, Emphaſin,*

Syno-

Synonymiam, expolitionem, Commorationē, Definitionem per differentiā. Ex loco diuisionis: Distributionem, Regressionem, Dilemma, Enumerationem, Congeriem, Incrementum. Ex loco caussarum: AEtiologiā, apophasin, dicæologiam, Metastasin, Colorem, Gradationē. Ex cōtrariorum loco: Contentionem seu antithesin, Commutationem, inversionem, συνοικείωσιν, Correctionem, diaphoram Rutilii, rejectionem, præteritionem, præoccupationem, concessionem, confessionem, Antipophoran. Ex similitudine: Comparationē, ratiocinationem, exemplum, similitudinem, apologum, parabolam, imaginē, Dialogismum. Ex loco generis: Sententiam, Epiphonema, noēma. Ex signis & circumstantiis: Hypotyposin, affectus exclamationum, hortationum &c. Prosopographian & reliquas ejus species. Ordinis figuras vocat: Transitionem, parenthesin, digressionem. Dietericus ita. Ex caussis: AEtiologiā & Metastasin. Ex adjunctis circumstātiis: topographian, Chronographian, prosopographiā, hypotyposin, pathopœian, ratiocinationem, digressionem, transitionem. Ex contrariis: Contentionem, Commutationem, Inversionem, Cōmunicationem, rejectionem, Parudiastolen, antipophoran. Ex similibus: Comparationem & Sermocinationem. Ex divisione: Distributionem, Congeriem & Incrementum. Ex Genere: Assumitionem,

Assumtionem, sententiam, noëma. Ex definitione: Epexegesin, expolitionem, definitionem.

Sed quæ computantur figuræ amplificationum, aliquæ sunt communes troporũ affectiones, aliquæ figuræ dictionis continuatæ vel argumentationes & conclusiones Logicæ aut Oratoriæ cõvenientes. Aliquæ verò quas nos addemus, licet ex locis Dialecticis depromtæ videãtur, cùm tamen eo modo, fine &c. non in Rhetoricis considerentur, atq; in Logicis; alienas à foro Rhetoris esse nemo existimabit. Vnde Leoninus figuras dictionis ad Grãmaticã relegat. Rhet. proprias & duplices facit. 1. quæ ad ornãdum, amplificandum, affectũs q; excitandos adhibentur. 2. ad argumentandum. Et rectè Soarez conqueritur adeo dissentire de numero & divisione figurarũ autores Græcos & Latinos, immò ipsum Ciceronẽ à seipso, qui animadvertente Quintiliano, multas figuras in tertio de Orat. lib. posuerit, quarum in oratore postea scripto non meminerit. Quasdam etiam posuerit figuras dictionis, quarum quædam sensus sint, quædã minimè figuræ. Excusat autem Ciceronem Soarez. 1. quòd minutæ sint & exiliæ quæ de hac materia tradi possunt, ideoq; parũ interfit, hocne an illo modo sentias sicut Cicero semper strictim, cursim & quasi per transennã illas ostendit, nec definitionibus explicatas, nec exemplis illustratas. 2. quòd numerus figurarum olim certus non fuerit, nec umquam esse pos-

possit, cujus rei duas reddit causas. 1. quòd etiã secundum Quintilianum novæ figuræ adhuc statui possint. 2. quòd figuræ utriusq; census, nõ in formas, quarũ certus, sed in partes & quasi membra, quorum infinitior est numerus, distribuantur.

Sed ex natura figurarũ utriusq; classis nos facilè eliciemus causã, cur certus adeo numerus esse non possit. Nam cùm, e g. in figuris dictionis infinitis pænè modis fieri possint adjectiones seu repetitiones, detractiones & similitudines sonorũ, infinitæ etiã sint ornatui servientes summæ sensuum & sententiarum: numerus utriq; figurarũ utriusq; generis incertus est. Vnde Cicero in Topicis ad Trebatium rem infinitam esse fatetur, & in partitionib. aliter figuras distinguit ac numerat, quàm in oratore. Principaliores tamẽ & usitatiores recensemus jucundatis causã, quæ adultior facta proprio Marte ex analogia alias quascũq; vel excogitare vel invenire & enucleare de facili poterit.

Figuras sensus varii etiam variè dividunt. Quidam generaliùs cum Talæo, prout vel ipsi aliquid proponim°, ut in exclamatione &c. vel quãdo plures inter se colloquũtur, ut in interrogatione &c. Videatur Talæus. Alii specialiùs ut Leontinus, at oratori potissimùm inserviunt aliæ ad rem locupletandam vel minuendam; aliæ quibus aliter ac sentimus, loquimur; aliæ

qui

quibus distinctè loquimur; aliæ quibus gratiâ & benevolentiâ conciliamus, aliæ quibus ira, indignatio & contemtus movetur, aliæ quibus pro nobis contra objecta dicimus, aliæ quibus imitamur, aliæ quibus rem cum re comparamus, aliæ quibus auditorum animi excitãtur, aliæ quibus cõsilium mutatur vel confirmatũ ponitur &c. Sed cùm varij & pœnè infiniti esse possint, ut sermones, ita & sermonum sensus: non nisi ex generalioribus quærendæ sunt figuræ & usitatioribus, nec tyronũ ingenia hisce torquenda, quæ sapientes variis modis ex rebus exsugunt. Nos commodè

Ad quatuor classes figuras omnes sensus referre possumus, videlicet ut sint vel 1. allocutionis seu allocutoriæ. 2. Responsoriæ. 3. Explicatoriæ. 4. Amplificatoriæ.

Quamvis inficiari nolumus ἀκρίβειαν hîc illam logicam obtineri non posse ratione divisionis, nec ullus adhuc Rhetorũ, quos vidimus, obtinuit, cùm sæpè in ampliatione explicatio, & in explicatione aliqua amplificatio; utraq; etiam nõnumquam in allocutione & responsione. Distinctionis tamen causâ, quâ huic usui magis, quam alii inservíunt, non incommodè ita figuras, ut putamus, in summa capita & quasi titulos generaliores dispescuimus.

CAP.

CAP. XIV.

DE FIGVRIS SENSVS SEV sententiæ in specie, & primò de figuris alloquii, cùm nos ipsos vel alios alloquimur.

PRæcipuæ, ad quas referri pleræque possunt aliæ tamquam affines, sunt sequentes.

I. Interrogatio, ἐρώτησις vel ἐρώτημα, est quando cum affectu aliquid quærimus, ideoq; non tam scisciandi caussâ, quàm I. instandi. *Vt: Quousque tandem abutere Catilina patientiâ nostrâ?* 2. Admirandi. *Vt:*

--- Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

3. Negandi & obtestandi. *Vt in Roscian. Quid inest in hac caussa, quod defensione indigeat?* 4. Contemnendi & irridendi. *Vt: An homo temerarius hæc non videbat?* 5. Indignandi. *Vt: Et quisquam numen Iunonis adoret? 6.* Miserandi.

randi. *Vt: Heu quæ me tellus, inquit, quæ me æquora possunt accipere?* 7. Certò affirmandi rem manifestam, ut negari non possit. *Vt: estne jam dies? Estne totum majus qualibet sua parte? Et tum Græcis dicitur πῦσμα vel πεῦσις.* Vel respondendi difficilis sit ratio, *& tum vulgò dicimus, quomodo? quî fieri potest? Dicitur etiam interrogatio vehementissima ἐπιπροχασμὸς & πῦσμα, quæ pluribus interrogationibus acriter urget. Vt Terent. Quis tu homo es? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi est?* 8. Acriùs imperandi &c. *Aliquando etiam nos ipsos rogamus.* 9. Dubitandi, *& dicitur Dubitatio.*

Dubitatio, ἀπορία, διαπόρησις *Aquilæ*, est figura sensus, cùm vel reverà dubitamus. *Vt Terent. Vbinam quæram? ubi investigem, quem perconter, quâ insistam viâ, incertus sum.* Vel nos dubitare simulamus. *Vt Virg. Eloquar an sileam?* Vel modestiæ caussâ nos dubitare & nescire significamus appella-

pellationem rei, facti, facinoris, verbi vel phrasis &c. *Vt: haut scio, utrùm crudelitas nominanda sit vel immanitas. Sic 6. Verrina: Venio nunc ad ipsius, quemadmodum ipse appellat, studium, ego, quo nomine appellem, nescio.*

Vitiosè & otiosè hic Sturmius lib. 2. de Eloc. c. 14. peculiarem facit figuram verbi investigationem, *seu de verbis dubitationē, & inter verborū figuras refert: Cùm tamen Dubitatio hic spectetur in genere, nō id de quo dubitatur. Nec tantùm Addubitatio dicitur, cùm nobiscum dubitando dubitamus: sed etiam cū aliis, ut rectè Soarez exemplum ex Cicerone adfert. Quo me vertam nescio, & quid agam, Iudices? quò accusationis meæ rationem conferam? quò me vertam? Hinc vulgò dicta est.*

Communicatio, ἀνακοίνωσις, quando in dubiis aut quasi dubiis deliberamus cum aliis: cum auditoribus, judicibus, adversariis. *Vt: Cedo si vos in eo loco essetis, quid aliud fecissetis? Aliquando dubitationi additur dubitantis responsio.*

Non ergo pro figura simplex illa interrogatio intelligitur, quod contra Keckermannum l. 2. Rhetor. cap. 16. notandum, & contra alios, quā

absq; motu & affectu quærimus simpliciter de re ignata, ut quid est Grammatica? quò nunc abis? cujum pecus? &c. Hic enim ornatus in sensu nullus, nec animus ullo afficitur motu.

Interrogationibus utendum raro, in vehementiori Orationis cursu, in rebus manifestis & necessariis, cumque aliquid augumentis est confirmatum. Et utendū cum pronunciatione vehementi, alias vim gratiamq; amittit.

II. Admonitio, cujus species. 1. Exhortatio & Obsecratio. *Vt: Omnis te, qui salva hæc esse volumus, hortamur & obsecramus, ut vitæ & saluti tuæ consulas.* 2. Precatio. *Vt: perutiles sunt libri Ciceronis, quos legite quæso studiosè, ut facilis. Rogo ignoscatis mihi si longiùs sum evectus.* 3. Commendatio & Elogium. *Vt: quis tam rudis in Republ. qui non intelligat tuâ salutæ contineri suam, & ex unius tui vitam pendere omnium?* 4. Objurgatio. *Vt Virg.*

Non ego te vidi Damonis, peßime, caprum
Excipere insidiis.

5. Aversio & prohibitio, *ne quid præter debitos fines fiat. Virg. Neu patriæ validas in viscera vertite vires.* 6. Comminatio.

natio. *Cicer. in Catil. jam dudum in carcerem cluſum te oportet eſſe. Et Matth. 23. Væ vobis Phariſæi & Scribæ.* 7. Irriſio, ἐπιχειρτόμημα, *Quintiliano Inſultatio. Vt: I nunc & verbis virtutem illude ſuperbis.* 8. Appellatio conſcientiæ, *cùm in re cognoſcenda & judicanda, alicujus conſcientiam contestamur. (quæ etiam ad permiſſionem referri poteſt) quò pertinent Adjuratio, Citatio ad tribunal Dei &c.* 9. Licentia, Παῤῥησία, *quam nullo jure Scribonius in Animadverſ. Rhetor. ex agro figurarum Rhetor. eliminatam cupit; cùm vel maximè Orationi decus & gratiam conciliat; eſt* cùm liberiore modo *vel commonefaciendi vel objurgandi &c.* eos, quibus reverentiam debemus, alloquimur, *quaſi jure, eos tamen minimè offendimus, & vel de rebus præteritis aut præſentibus. Vt: Cicer. pro Scylla: Adeſte omnes animis, qui adeſtis corporibus; erigite mentes auresque veſtras. Item pro Cæl. Dicam jam confidentiùs, quoniam audeo quæ-*

dam fretus vestrâ sapientiâ, liberè confiteri.

Ab hac non differt παρρησία seu Oratoris fiducia Sturmii 1. de elocut. cap. 25. Et Keckermanni 2. Rhet. syst. cap. 17. qui tamen Licentiam ad aliam classem refert capite praecedente.

Vel de futuris, licet certò non sciamus. *Vt* **Cic. pro Milone: Erit, erit ille dies, cùm tu &c. &** *Terent. in Adelph.* **videre videor jam illũ diem, cùm hinc egens profugiet aliquò militatum.**

Ad parrhisiã pertinet 1. Cùm orator seipsum laudat. 2. Cùm eum laudam', ad quem liberè loquimur: Cũ verò subest adulatio, impropriè dicta oritur parrhisia, contra quam putat Quintilianus.

Licentia autẽ, qua molesta, modicè, tempestivè & prudẽter usurpatur, nè in calumniã degeneret, aliás nõ raro exitiabilis, ideoexcusatio aliqua vel mitigatio solet adhiberi; Vt: quod pace tuâ dicam; ignosce liberiùs dicenti &c.

10. Paradoxon, cùm admirantes, præter opinionem quid nobis evenire significamus. *Vt: numquam fore credidi, Iudices, ut hujus viri sinceritas & promtitudo in dubium vocaretur.* Quò referri

referri potest ἀδύνατον, *quod fieri non potest, aut quasi tale proponitur. Vt: Non dici potest, quantopere literæ tuæ me delectarunt.*

11. Promissio, *quâ nostram operam offerimus & pollicemur. Vt* Cic. *pro* Marcello: *Omnes tibi non modò excubias & custodias: sed etiam laterum nostrorum oppositûs, & corporum pollicemur.*

Est & promissio dicẽdorum in Transitione, plus amplificatoria, utut allocutoria; item promissio brevitatis in eadem, quâ rarò utendũ, nec nisi cùm præter spem nostram nimis crevisse videtur Oratio.

12. Commemoratio, per quam dicimus nos scire quid cogitent & sentiant ij, ad quos oratio dirigitur. *Vt: Scio quid sentiatis, Iudices. Vitiosè ab aliis ad Communicationem refertur, nihil enim minùs est, quàm dubitatio.*

13. Apostrophe, ἀποστροφὴ, *aversio, avocatio &c.* est sermonis conversio ad aliam personam vel quasi personam, *quam instituta requirebat oratio.*

Fitque. 1. ab homine ad Deum. *Vt Psal. 109. Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Do-*

minum; Tu autem Iehova, fac mecũ propter nomẽ tuum &c. Poëtis usitatissima est ad suos Deastros & Deastras. Vt Aeneid. 1. Musa mihi causas memora &c. Metamorph. 1. Dii cœptis adspirate meis. Et talis est Poëtarum προσευχὴ. Virg.

Sicelides Musæ paullò majora canamus.

2. ad humanam personam vel aliam, Cicer. pro Amer. Te quoq; M. Fanni quæso. Et Isal. 2, 9. Et nũc reges intelligite, erudimini &c. Quando ad multas personas, unam post aliam avertitur oratio, dicitur Sulpitio Victori & aliis Rhetoribus μετάστασις. Vel ad nos ipsos. Vt Didonis illæ de sese 4. Aeneid. Quin morere ut merita es, ferroq; averte dolorẽ. 3. ad res brutas & mutas: ut apud Virgilium equum Mezentius alloquitur. 4. ad res inanimatas. Vt Turnus hastam alloquitur. Cicer. pro Milone: Albanos tumulos; Lucos & aras &c.

Vsus Apostrophes præcipuè est, ut rectè Quintilianus lib. 4. c. 2. ad invadendos adversarios, ad invocationem aliquam, ad invidiosam implorationem &c.

CAP. XV.

DE FIGVRIS RESPONsoriis.

REsponsionis ornatæ variæ sunt spe-

ſpecies, *quibus ſua ſunt interrogationes vel explicitæ vel implicitæ & ſubintellectæ.*

1. Reſponſio communiter *Rhetoribus* dicta, cùm aliud interroganti, aliud, quia nobis utilius, reſpondemus. *Vt: Quæro an occideris hominem? reſpondetur latronem.*

2. Subjectio, *(hanc interrogationis ſpeciem facit Keckermannus, ſed eodem jure nos reſponſionis, cùm utramque contineat, immò meliori, nam propter reſponſionem inſtituitur interrogatio)* cùm quis vel ſibiipſi, vel alteri, à quo non exſpectat reſponſum, reſpondet. *Vt ſi roges à teipſo vel alio: Adeonè mori miſerum eſt? & ſubjicias: Minimè profectò, cùm mors vitæ initium ſit verioris.*

Cùm verò crebrò à nobis ipſis rationē poſcimus, dicitur nonnullis Dialogiſmus, Sermocinatio, ratiocinatio. *Vt Cic de Haruſp. reſponſ. Ecquâ mente? quâ invaſeras. Quâ voce? quâ incendi juſſeras. Quâ lege? quā nè illâ quidem impunitate ſcripſeras.*

Quando junguntur interrogatio ac reſpōſio, & ſubditur cauſſa; dicitur quibuſdā Apopha-

& 2. *ad Herennium* Ratiocinatio. *Vt Cic. Si quis furem occiderit, injuriâ occiderit: quam obrem? quia jus cõstitutum nullum est: quid si se telo defenderit? non injuria: quid ita? quia constitutum est.*

3. Antipophora, *dicitur etiam* ἀντεισαγωγὴ, ἀντικατάλαξις, *compensatio, est responsio*, quæstionem argumento firmiore solvens, vel ratione aliquâ frangens. *Vt si quæras, feci-sti? & respondeas, feci, sed utilitatis publicæ causâ.*

4. Occupatio, *præoccupatio anteoccupatio, antepræmunitio*, πρόλημψις, προκατάλημψις, *Quintiliano præsumtio, aliis anticipatio, Scaligero præventio, est* cùm tacitæ objectioni occurrimus, *vel id quod objici posse à nobis ipsis vel aliis, præsentimus & diluimus.*

Hujus duæ *partes: objectio & subjuncta* Solutio. *Illa modo absq; notis profertur, modo hisce: quamvis, etsi, licet, sed, at &c. Hæc notis, tamen, veruntamen &c. Vt: Quamquã sciat Cõcionator, quòd veritas odium pariat (hactenus objectio) tamen ad scelera & hæreses nõ sit mutus canis (solutio.) Objectio aliquando habet initium tale: Dicat quispiam, quærat aliquis &c. quod dicitur* præmunitio vel præparatio; *&*

solu-

Solutio etiam initium aliquādo habet parasce-uasticum; ut: Difficile est hoc de omnibus confirmare, sed tamen certum est quid respondeā. Quando continuatur occupatio, dicitur ἔνστασις Instantia, & ejus solutio, ἐπίλυσις.

Vsus occupationis est 1. ad eximendos auditoris animo scrupulos & judicia adversa. 2. ad ornatas connexiones ac transitiones, ubi nonnunquam aliud nullum suppetit vinculum.

5. Purgatio, quando criminibus objectis respondendo nos purgāmus.

6 Concessio, *vel responsio per concessionem*) vulgò dicitur esse in verbis, *dictis & argumentis, & dicitur propriè concessio,* συγχώρησις *vel* παρομολογία; *vel* in factis *& dicitur* permissio.

Cicero autem promiscuè usurpat, & Quintiliani judicio Concessio factorum est; sed sequamur usitatam distinctionē, juniorum causâ.

Concessionis notæ sunt: Esto, fac, sit ita, sit sanè &c. ut Cic. Verr. 7 sit flagitiorum omnium princeps: at est bonus imperator. Et pro Cluentio: Fuit judicium corruptum. sed ab Oppianico, non a Cluentio. Veritas premi potest, opprimi non potest.

Dicitur aliás paradiastole vel discriminatio, malè autoribus peculiariter distincta à Concessione species.

Vtimur Conceßione, cùm largimur adversario aut auditori minoris momēti aliquid, quod ei, cui conceditur, nocet, aut ut majus quid obtineamus, & reliqua magis exaggeremus, aut ut unum concedendo alterū reponamus. Ideò

Conceßioni conjungitur ἀντεισαγωγὴ *seu* ἀντικατάλαξις, recompensatio *vel contraria introductio.*

Huic affinis est Consensio, *ut Cicer. in Verrem: Gaudeo etiamsi quid ab eo abstulisti, & abs te nihil rectiùs factum esse dico Et* Confessio, *nihil nocitura,* ὁμολογία *seu* παρομολογία, *ut Cicer. Habes igitur Tubero, quod est accusanti maximè optandum, confitentem reum.*

Permissio, ἐπιτροπὴ, est cùm rei bonitati confidentes, relinquimus vel aliquid vel rem totam voluntati aut judicio *alicujus faciendam, explicandam vel æstimandam. Alicujus, vel* Judicis: *ut vobis, Iudices, quod æquißimum videatur, ut constituatis, permitto.* Vel adversarii. *Vt: Dic te digniorem, qui Prætor fieres, quàm Catonem.*

Aliquando permißio est non spontanea, sed quasi coacta, diciturq; Permissio per dissimulationem, *cùm invitos nos aliquid permittere ostendimus,*

ostendimus, conjunctam habens exprobationem, simulationem, dissimulationem, adeoque Ironiam. Vt: Terent. Habeat, valeat, vivat cũ illa. Et idem. Profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet.

7. Correctio (*vel responsio per correctionem tacita sive aperta*) *moderatio, attemperatio, revocatio, Græc.* ἐπανόρθωσις *seu* ἐπιδιόρθωσις, *Fabio emendatio, Rutilio* μετάνοια, *pœnitentia figura*, est cùm dictum, *sententiam* vel orationem *quasi revocando*, alio verbo, *oratione* aut ratione magis idoneâ, mitigamus, *vel melius dici aut fieri potuisse ostendimus.*

Notæ ejus plerunq; sunt, immò, potiùs, quin potiùs, non sed, atque adeò, quãquam pænè dixerim, &c. *Vt: non sunt illi probi cives, sed improbi, immò scelerati & impii. Terent. filiũ & c. habeo. Ah quid dixi habere me? immò habui & c. Cic. stuporem hominis, vel dicam pecudis attendite. Aliquãdo nihil substituitur. Vt: Cives (cives inquam, si hoc nomine eos appellare fas est) de sua patria cogitant. Quintilianus reprehensionem vocat.*

A Correctione non differt Erroris inductio, *quam ceu peculiarẽ speciem ponit Antiquus. Vt: an his majora poterant judicari? adhuc tamen*

men majora superſunt. (ſubditur reſponſio per correctionem.)

Huc verò reducatur 1. Ejuſdem Præciſio, quâ ante finẽ oratio præciditur, cùm progredi poſtulat. Vt Cicer. pro Ligario. Nimis urgeo: Cõmoveri videtur adoleſcens, & quid plura? ipſum adoleſcentẽ dicere audiſtis. A præciſione rurſum parùm aut nihil differt ejuſdem revocatio, quâ mutamus conſilium, nos ꝓgrẽ ultra progrediamur, revocamus. Vt: Quòd ſi omnia perſequi velimus, finẽ non eſſet habitura oratio. Vel: revocatio eſt cùm orationem revocamus ad propoſitũ, ſicubi ab eo longiùs videatur digreſſa. Vt: Verùm longiùs jam decurrit Oratio, redeamus ad id, unde digreſſi ſumus. Rariùs autem hac uſurpatur figura, & diſpoſitionem ea non parùm quo ꝓ concernit. 2. Ficta oblivio: ut, panè animo excideràt, quod erat dictu neceſſarium. 3. At emperatio ejuſdẽ, quâ dicta verbis, reor, arbitror &c. modificamus.

8. Inverſio, ἀντιστροφὴ, (vel reſponſio per Inverſionem, eſt cùm invertimus adverſarii collectionem. Vt: Sepelĩſti, ergo occidiſti. Immò, ſi occidiſſem, non ſepelĩſſem.

Huic affinis eſt Retorſio, aliis reflectio, cùm id quod nobis objicitur vel in nobis reprehẽditur, idem in objiciente eſſe oſtendimus. Quò ſpectat omnes acutæ reſponſiones, quæ par pari referunt.

referunt. Vt: Pompeio ex Cicerone, quærenti, ubi gener ejus esset, quem Cæsaris partes sequi sciebat, Cicero dictum intelligens, & pari notâ retorquens, apud tuum, inquit, socerum.

Cùm criminis participem adversariũ facimus, Leontino dicitur Participatio.

9. Elusio est cùm joco *aliquo*, vel risu, vel contemtu caussam, personam, dictum, argumentum &c. excipientes eludimus.

Affines sunt. 1. Abjectio, *quando personam, vel ejus autoritatem, existimationem, ingenium, doctrinam &c. flocci pendentes abjicimus. Vt: nescis insane, nescis, quantas vires virtus habeat, nomen tantum virtutis usurpas, quid ipsa valeat, ignoras.* 2. Rejectio, ἀποδίωξις, *cùm aliquid rejicimus, quasi minus necessarium, vel indignum, vel intempestivum, vel à caussa alienum, vel propter rationes præcedẽtes Vt: Sed non est referre necesse, quæ ad caussam hanc minùs pertinent. Mittamus isthæc. Quid ista ad rem? &c. Potest rejectio etiam ad correctionem referri.* 3. Suspentatio, ὑπομονὴ, quâ *diu suspenduntur auditorum animi, atq; aliquid deinde inexspectatum subjungitur, grave vel leve.* Grave: *ut Cicer in Verr. Quid deindè? Quid censetis? furtum fortasse aut prædam aliquam? Demum cum diu suspendisset*

set judicum animos : subjecit quod multò est improbius : Civem Romanum in crucē adegit. Leve: *Vt : Grave crimen Apostolis objiciebant Iudæi. Quid hoc ? illotis manibus vescebantur.*

Hactenus de responsione.

CAP. XVI.

DE FIGVRIS EXPLICATORIIS.

Nam hactenus allocutoriæ & responsoriæ.

FIguræ explicationis sunt, quæ rei enucleationi ornatu suo inserviunt potissimùm, absque amplificatione & exaggeratione, suntque:

I. Explicatio specialiter dicta *autoribus, vel Dianismos, Epexegesis, sententiæ expositio*, quæ rem vel consilium exponit, & subjunctâ ratione cōfirmat. *Vt : hoc præstat amicitia propinquitati : quòd ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest : sublatâ enim benevolentiâ, amicitiæ nomen tollitur ; propinquitatis manet.* Dicitur *aliis* Asse-

Asseveratio, *dicetur* & Ætiologia, *cùm causſam rei recitamus.*

Eaq; 1. vel διαιολογία, cùm aliquam officii rationem exponimus, aut excusationem, *quod jure, honestè, & c. faciamus. Vt: quamquā est amicus, tamē amicitia anteferenda est veritas.* 2. ὑπόθεσις, cùm alia adfertur ratio, priori prævalens, cujus nota est, præsertim &c. 3. Ἀναγκαῖον, cùm allegatur necessitas. *Vt: Deseruit amicum, non voluptate, sed coactus legibus.*

Translatio *autem est*, cùm causſa rei transfertur in locum dignioren aut magis profuturum dicenti. *Vt Cicero Marcellum hortatur, Romam redire velit, si minùs sua ipsius, tamē reipubl. & optimi fratris causſa, concedat igitur Reipubl. utilitati, deprecationi amicorum & assiduis unici fratris lacrymis.*

Color *autem*, χρῶμα, est cùm redditur causſa vel per accidens, vel minùs vera, *vel callida & probabilis rei suspectæ aut perperam actæ. Vt Terent. Postquam ad judices ventum est, non potuit cogitata proloqui, ita cum tum timidum obstupefecit pudor.*

II. Definitio, est cùm sententiam definitionis explicatione communitam proponimus. *Vt: non est hoc boni civis,*

sed

sed seditiosi, bonus enim civis prodesse omnibus cupit quantum potest, nocere nemini.

Item: Non est, Iudices, fortitudo, sed temeritas, sine honesta ratione adire pericula. Antiquus vocat definitionem per diaphoram.

Agimus hic de definitione, non ut nudè rem definiat aut explicet; hoc enim hic alienum: sed ut ornet orationem, & auditorē delectat atq; afficit. Idem intellige de cæteris.

Huc spectat Hypotyposis, *Cic.* Descriptio & demonstratio.

Aliàs ἐνάργεια, *Quintiliano* Evidentia & Perspicuitas & repræsentatio, *quæ rem explanat ita luculenter, vel ex circumstantiis, vel eo gestu & loquēdi modo, ut oculis cerni quasi depicta potiùs, quam audiri videatur. Vt: Actione in Verrē septimā: Ipse inflammatus scelere aut furore in forum venit, ardebāt oculi, toto ex ore crudelitas emicabat. Nec tantùm quæ fiant ac facta, sed & futura, quæ sint vel fuerint, dicendo exprimimus. Vt Cicer. pro Milone tractat, quæ facturus fuerit Clodius, si Iraturam invasisset. Hæc autē verecundior; si proponatur: Credite vos intueri &c.*

1. Est autem descriptio, *aliis* Characterismus (*Intelige descriptionem, distributionem &c. talem, quæ non tantum expli-*

explicet, sed etiam ornet.) Vel rerum vel personarum. Illam Demonstrationem aliqui vocant, hanc tractationem & Prosopographiam. *Rerum, vel* Temporis, & dicitur Chronographia,

Vt Virg. Æneid. 4.

Nox erat & placidam carpebant fessa soporem
Corpora per terras &c.

vel Loci & dicitur Topographia, *ut cùm describitur regio, urbs, fluvius, templum, arx, portus, villa, collegium, mons, fons, hortus &c.* Topothesia est ficti loci descriptio, *ut Regiæ solis, apud Ovid. 2. Metamorph. domus famæ Metamorphos. 12. Caci speluncæ apud Virg. libr 8.* Vel rerum gestarum, *& dicitur* Pragmatopœia, *ut cùm describuntur prælia, certamina &c.*

Personarum, vel vultus & corporis, & dicitur Prosopopœia, *itemque χαρακτηρισμὸς*; vel *morum atque* affectuum mitiorum, *quæ Græcis ἤθη*, & dicitur Ethopœia, *ἠθοποιΐα*, vel *affectuum* vehemen-

hementiorum, & dicitur Pathopœia, παθοποιΐα. *Quamvis Prosopopœiam alii, omnes has tractationis species esse velint; alii esse velint imitationem rerum inanimatarum, aut animalium brutorum; alii latissimè accipiant pro his omnibus allatis, atque ita* latissimè sumta.

Prosopopœia (*autori ad Herennium 4. Sermocinatio & conformatio*) seu personæ fictio, est cùm personam aut quasi personam sermone nostro loquentem introducimus, ejusvè verba aut gestûs imitamur.

Per personam intellige, vel veram vel fictam, vel mutam vel vocalem, vel brutam vel inanimatam, rationalem, mortuam, item aliquid personæ. Item Deum & Angelos &c. Vnde Quintilianus: Quin deducere Deos, ait, in hoc genere dicendi, & inferos excitare concessum est. &c. Repræsentantur *enim* nostro sermone

1. Integræ personæ.

1. *Quasi*

1. *Quasi propriâ suâ locutione dicentes, quibus nostram affingimus loquelam, ac si ipsi coram præsentes ore talia proferrent; vel ac si nos alterius loqueremur personæ verbis. Vide exẽplum Sap. 5. versibus prioribus, ubi damnatorũ tremores eleganti prosopœiâ describuntur. Huc exẽplæ pertinent, quibus personæ à Poetis introducuntur loquentes. Atque hæc dicitur* Prosopopœa perfecta, *directa & plena* 2. Imperfecta *enim, indirecta & obliqua dicitur, quando non affingitur persona quasi per se loquenti oratio; sed quid alii dixerint, rogaverint, voluerint &c. enponimus. Vt Cic. pro lege Manil. Hi vos, quoniam liberè loqui non licet, tacite rogant, ut se quoq; sicuti cæterarũ provinciarum socios dignos existimetis, quorum salutem tali viro commendetis.*

2. Persona absens tamquam præsens, *& dicitur aliis διαλογισμὸς seu sermocinatio.*

Vt si Spiritus Sanctus cum Iohanne Baptistâ captiuo loquens introducatur: Mi Iohannes, nè te perturbet indigna fortuna: tua afflictio vertetur in sempiternam lætitiam.

3. Verba & gestus alterius, *quando illa imitamur, dicitur μίμησις, quâ voce tamquam generali Hermogenes & Prosopopœiam comprehendit, & secundam*

dam hanc speciem, quam vocat εἰδωποιΐαν.

Vt Esaias cap. 22. μιμητικῶς verba impiorum exprimit: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Aliquando nos ipsos timere, gaudere, irasci fingimus. Vt: respiraui: liberatus sum.

4 Personæ fictæ, *ut apud Ovid. famis, somni, & invidiæ: apud Virg. famæ: apud Lucianum linguæ: apud Plutarchum virtutis & fortunæ.*

5. Mortui loquentes *introducuntur, & dicitur* εἰδωλοποιΐα.

6. Bruta, *quibus sermo tribuitur in Apologis apud AEsopum & alios.*

7. Res mutæ, inanimatæ &c. *ut Cic. pro Marcello: Parietes hujus curiæ, C. Cæsar, tibi agere gratias gestiunt.*

Et 1. in Catil. si cuncta Italia, si omnis resp. sic loqueretur, M. Tulli quid agis? & quæ sequuntur. 2. Reg. 14, 9. Carduus Libani misit ad Cedrum quæ est in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem &c.

Huc pertinent Parabolæ & historiæ variæ, in quibus personarũ varii gestus, dicta & facta exprimuntur. Nam magnus usus est prosopopœiæ in suadendo, objurgando, laudando, quærendo,

quærendo, miserãdo &c. quando personas idoneas damus; ideo judicio opus est in tanto ornamento sermonis adhibẽdo, ut sermo personis sit consentaneus. Item, nè falsa & incredibilia nimis usurpẽtur, quia pro vanis accipiẽtur & non movebunt. Pathopœia ad ampliationis figuras magis spectat. In Ethopœia sermo variabitur pro affectibus, ætate, fortunâ &c. Lætãtis sermo sit alacris, vani tumens, properantis brevis & cõcisa, meretricola mollis & blanda, matronæ seria, matris anxia, pueri temeraria, humilis misera, parasiti faceta, rustici incondita, oratoris ornata.

III. Distributio, διαίρεσις & μερισμὸς, est totius in partes *seu membra divisio*, *vel* latior diductio. *Ciceroni alias partium enumeratio.* Et 1. vel nulla subjicitur ratio, *nam sine illa fieri potest distributio. Vt liquet exemplis.* 4. *ad Herennium.* 2. vel unicuiq; parti ratio sua subjungitur, & dicitur ἀνάλυσις. *Vt: Alexandro Macedoni neque in deliberando consilium, neque in præliando virtus, neque in beneficio benignitas deerat. Nam in re dubia apparebat sapientißimus, in conflictu cum hostibus fortißimus, in præmio dignis tribuendo liberalißimus.*

Ad

Ad Distributionem referuntur 1. Dialysis *Leonini & Valerii. Vt: Iudices partim odio inducti, partim pecuniâ corrupti. Et: Koscio non modò luctũ mors patris attulit, sed etiam egestatem.* Notæ sunt: Partim, non solum, sed etiã &c. *dicitur alias* ἐπιμερισμὸς. 2. Enumeratio per remotionem, *quando omnibus argumentis contrariis enumeratis, ordine posteà singula removemus* 3. Di junctio, *cùm varia enumerãtur, particulâ disjũctivâ interpositâ. Vt: ad decus & libertatem nati sumus: Aut hæc teneamus, aut cum dignitate moriamur* 4. συνοικείωσις *Soarii*, Enumeratio rerum *admodum* oppositarum. *Vt: Tam deest avaro quod habet, quàm quod non habet.* 5. Metastasis *Antiqui: enumeratio futurorum, quæ esse possunt, Vt: Cic. pro Milone: Mala recensebat, quæ evenire poterant, nisi Clodius fuisset interfectus.* 6. Digestio *ejusdem, cùm partes divisas diversis singulas tribuimus. Vt: Cic. pro Roscio: Criminis confictionem accusator Erucius suscepit, audaciæ partes Roscii sibi poposcerunt: Chrysogonus is, qui plurimùm potest, potentiâ pugnat.* 7 Contentio *Ciceroni, Græc. Antitheton*, ἀντίθεσις, *contrapositũ, cùm singula singulis enumeratis opponuntur. Vt: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Vel bina binis. Vt: non nostri ingenii, vestri auxilii est. Sic Tob.* 12. *Regum arcana celare honestum est:*

Dei

Dei vero opera proferre præclarum est. Aliquando est Antitheſis in longis integris ſententiis, aliquando paria paribus & crebra crebris reſpondent. Dicitur & Aphæreſis ſeu remotio, cùm uno contrariorum remoto, alterũ reponitur: Vt: non medicina eſt, ſed carnificina. Item Enantioſis, *cùm duo contraria duobus contrariis tribuuntur, Vt: obſequium amicos, veritas odium parit. Nec ſemper contrapoſitum ſubjũgitur. 8.* Commutatio, ἀντιμετάθεσις, *Ruſſiniano* μετάθεσις, *eſt cùm duæ ſententiæ inter ſe diſcrepantes, tranſjectione ita efferũtur, ut à priore poſterior contraria proficiſcatur. Vt: Non ut edam vivo, ſed ut vivã edo. Sic Rom. 7. Non quod volo, facio bonum, ſed quod non volo, facio malum.*

IV. Ratiocinatio, eſt cùm aliud ex alio colligendum proponimus, *aliàs* συλλογισμὸς, *item* ἔμφασις. *Vt: Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſtâ gladiatoriâ totius corporis firmitate tantum vini exhauſeras, ut tibi neceſſe eſſet in populi Romani conſpectu vomere.*

Hic colligere eſt, quantũ vini Antonius vir robuſtus ingurgitaverit, qui tali loco ſe à vomendo continere non potuerit. Sic apud Ovid. lib. 13. Metamorph. quãtus fuerit Polyphemus,

ex eo intelligitur, quòd ejus capilli, non pectinibus, sed rastris pecterentur.

Quando plures rationes adducuntur, & ex iis *propositi confirmatio, sententia vel* conclusio colligitur, dicitur Collectio, *Valerio autem expeditio & enumeratio. Vt: si omnibus adductis modis, quibus honestè acquiri pecunia potest, ac demonstrato, eorum nullo acquisivisse eum, quem ex tenui divitem subitò factum criminamur; malâ arte eum parasse opes colligamus.*

Huc spectant 1. Dilemma, *aliis Complexio & Diæresis dilemmatica*, cùm ex utraque parte disputando, rationesque explicando, vel redarguendo, consilium vel factum alterius reprehendimus, vel nostrum probamus. *Vt: Non admonendum eum censeo: Nam si bonus est, admonitione non eget; si improbus, admonitione tuâ, quam contemnet, nihil profeceris. Aliquando omittuntur particulæ hypotheticæ, monente Sturmio, lib. de Elocut. cap. 40. Cùm ornamentum*

sit

sit sententiarum, non verborum. 2. Frequentatio seu recapitulatio, quæ in medio sermone argumenta antea adducta & dispersa, unum in locum cogit, & ex omnibus efficit conclusionem. *Vt pro Quintio: Ex quo & ex cæteris dictis, factis, cogitatisque S. Nævij quilibet potest intelligere, istum nihil egisse, neque nunc agere, nisi ut per vim, per injuriam, per iniquitatem judicij totum agrum, qui communis est, suum facere possit.* 4

CAP. XVII.

DE FIGURIS AMPLIficatoriis.

SVnt quæ ad rei amplificationem spectant, *quibus adjunximus, quæ dispositionem & connexionem sermonis quodammodo concernunt.*

Amplificatio, ἐξεργασία, *aliàs exaggeratio, expolitio, dilatatio &c. Ciceroni gravior affirmatio (quid enim opus*

est expolitionem ab amplificatione peculiarem cum Leonino constituere figuram) est cùm id, quod summatim sive generaliter & simpliciter dictum est, ampliùs deinde exaggeramus, augendi vel extenuandi gratiâ.

Et quamvis amplificatio ex iisdem locis desumi possit, unde explicatio & confirmatio, tamen præcipuè exaggeramus 1. Vel congerendo plura & commutata verba naturâ rei exprimentia. Vel 2. rei causas, effectus, species, partes, circumstantias, antecedentia, comitantia, consequentia, autoritates, exempla, sententias cum emphasi enumerando atq; inter se comparando. 3. Vel affectum excitatum majori porrò effectu penitus imprimendo, vel sedatũ exstirpando.

Sciendum autem hoc loco amplificationem accipi ut figuram, vel ornatũ, in Oratoriâ nonnumquam ut quidpiam inventionem spectãs.

Huc itaque spectant 1. Congeries, συναθροισμὸς, cùm plura verba & sententiæ varia significantes, sed tamen ejusdem ferè ponderis ad unum idemque significandum acervantur. *Vt Cic. pro Ligario: Quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?*

bas? Dicitur quibusdam specialiter expolitio, ἐξεργασία; item ἐξήγησις, enarratio.

2. Incrementum, ἀνάβασις, cùm plura ad unam rem verba aut sententias, non tamen ejusdem ponderis glomerantes, gradatim ascendendo exaggeramus. Verba: *Vt, percußit, sauciavit, occidit.* Sententias: *Vt Cic. in Verrem: Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, parricidium necare, quid dicam in crucem tollere?*

In Incremento ergo 1. quadam sunt ponderosiora cæteris; & per gradus crescit oratio: in congerie verò velut in acervo. 2. Incrementum & Gradatio non differūt: In gradatione enim, ut sensus figura, non tàm verborū continuatio quàm rerum gradatio spectatur.

3. Elevatio, cùm res momentosas studio elevamus, quò majora etiam videantur, & majori attentione exspectentur sequutura. *Vt: parum est in hoc viro doctißimo, callere varias linguas, tenere artes liberales: parva sunt ea, inquam, si comparentur cum miranda ejus sapientia.*

4. Similitudo, cùm rei ſimile affertur. *Vt: quemadmodum poma ex arboribus, ſi cruda, vi avelluntur: ſic vitam adoleſcentibus vis aufert. Prior hujus pars dicitur* πρότασις, *propoſitio; altera* ἀπόδοσις, *redditio, ſeu applicatio.* Quando una pars deeſt, dicitur Imago, εἰκών: item, cùm plerumq; comparandi vocibus effertur: *qualis, ſimilis, alter, tamquam, velut, ut: in ſcolam tamquam piſtrinum detrudi.*

5. Exemplum ſeu Paradigma, eſt quod ſumitur ex hominum factis, vel rebus geſtis, vel tamquam geſtis, *& tractari poteſt vel more ſimilitudinis, cum redditione. Vt: Si Catoni licuit arma pro patria ſumere, licebit etiam Ciceroni: Vel more imaginis, ſine redditione. Vt: Cyri necem avare non effugies.*

6. Comparatio *vel Syncriſis*, eſt collatio ſimilium inter ſe vel diſſimilium, parium vel imparium, ejuſdem vel diverſi generis, vel ſpeciei cum genere

nere &c. *Vt*: *Christus multa pro nobis tulit, nos pauca pro nobis ipsis non feremus? Esai. 11. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsæpe Domini sui, Israel autem nec me cognovit. Cic. Parenti non obtemperat, & audiet alienum?*

7. *Γνώμη, sententia*, est dictum aliquod breve & celebre, *vel præceptum* mores variosq; vitæ casûs concernens. *Vt*: *Obsequium Amicos, veritas odium parit. Quò pertinent leges, proverbia, clarorum virorum dicta.*

Cavendum autem, nè nimiùm sint crebræ. Sicut Saxo Grammaticus noster ferè nimis est sententiosus.

Quando autẽ sententia non generaliter, sed cum persona cõjunctâ effertur, dicitur noema *Vt: Iosephum nihil ornat magis, quàm castitas,* νόημα, *est. Sententia autem est: Nulla virtus juvenẽ magis ornat, quàm castitas. Aliquando noëma est allusio ad sententiam subintellectam & implicitam. Vt: Liv. 1. dec. 4. Atheniensis quidem, inquit, litteris verbisq; bellũ adversus Philippum gerebant. Salsè notas imbellem Græcorum loquacitatem. Sententia est inclusa: Bellum non verbis, sed armis geritur.*

De sententia sicut & de reliquis multis figuris notandum, pertinere ad doctrinâ Elocutionis, quatenus sermones ornat; quatenus autè aliquid explicat, probat aut amplificat, ad Inventionis doctrinâ, quâ oratores & c. utuntur.

Sententiis autem senes, quam juvenes decêtiùs utentur, & digniores, quam indigniores. Vnde Aristoteles ait: non cujusvis esse sententias loqui: nec semper apud sapientes loqui decet sententias: & rarò nisi in rebus gravibus.

Sententia 1. vel est χρεία vel γνώμη, (licet sæpè promiscuè hæ duæ voculæ usurpentur) illa Aphtonio *cap. 3. Progymnas.* est commemoratio brevis, alicujus dictum aut factum aptè referens. *Vt Isocrates post Aristotelem dixit: Eruditionis radices amaras, fructus autem dulces esse. Alii definiunt: quòd sit sententia simplex breviter explicans thema aliquod simplex, & pertinens ad apprehensionem simplicem, rei declarans naturam, proprietates, effecta, caussas & c.* Hæc eidem *cap. 4.* est Oratio brevi complexu aliquid denotans, quod ad hortandum dehortandu ve erinet. *Alii: quòd sit sententia composita, ad thema conjunctum magis accedens, nonquè tam rem explicans, quam suadens vel monens aliquid esse faciendum vel omittendum. Vt illa Catonis: Nõ oportet in Republ molles mores tolerare. Quãdo autoris nomen sententiæ adscriptũ est, malunt quidam consuetudine quadam appellare*

Chrian

Chrian vel apophthegma, quàm sententiã. Vtramq; cõmuniter faciunt, vel dicti *seu verbalem, ut in datis exemplis*; vel facti *seu activã, quam autor gestu vel actione exprimit. Vt Pythagoras interrogatus, quid esset vita humãa, primò nonnihil conspiciendum se præbuit, mox subduxit: tacitè innuens, vitam humanã rem esse instabilem, citò quæ effugiat:* Vel mixtam. *Vt cùm Diogenes accẽsâ lucernâ obambulabat in meridie Athenis, dicebatq; se homines quærere.* 2. Sententia est apertior, *quæ perspicuis verbis &c. significatur*; vel tectior, *uti noëma, de quo supra.* 3. Vel est solitaria, *quæ profertur sine ratione addita*, vel ratione juncta *seu Enthymematica. Vt Salustius: In omni certamine, qui opulentior est, etiamsi accipit injuriã, tamen quia plus potest, facere videtur. Dicitur etiam duplex sententia talis: Obsequium amicos, veritas odium parit. Licet non sit Enthymematica.* 4. Sentẽtia *ratione autoritatis magnatum* dicitur oraculum, *ut sententia Dei, Angeli, Prophetæ, Apostoli, heroïs &c. Ratione acuti, brevis & rotundi responsi, dicitur* Apophthegma, *quod orationi insertũ, gratiã habet præsertim si sit magnatũ aut summè doctorum virorum.* Apophthegma Laconicum, *dicitur* Symbolum. 5. Est rarior, vel communior. *Hæc proverbiũ dicitur vel sentẽtia proverbialis, de quâ supra, quâ parcè & in loco utendum, & si durior, præmollienda formulis: ut ajunt, ut*

adagio dicam &c. 6. Est vel simplex, ut: pulcrum est pro patriâ mori; vel composita, ut gratis est multorum dominatus, unus sit rex. Aliquando terminorum unus geminatur, vel subjectum: ut amicis potiùs quàm inimicis dãda est opera. Vel prædicatum: ut amici jurandi non deserendi sunt. Vel utrumq; ; Ut: Potiùs est civis unus servãdus, quàm mille hostes perdendi. 7. Alia est πιθανὴ verisimilis, ubi res plerumq; ita se habet vel habere videtur, non semper. Ut: Talis est quisq; & iis moribus, quales ii, quibuscum conversatur. Alia ἀληθὴς, vera universaliter. Ut: Plures in vita sunt incommoditates, quàm cõmoditates. Alia ὑπερβολικὴ, ubi nimium dicitur ut ab iratis, dolentibus, vel: Cùm semper & in omnibus se habere dicitur, quod rarò & in paucis accidit. Ut Ingenium omnium hominũ a labore proclive est ad libidinem.

8. Commoratio, ἐπιμονὴ, ἐπιμομὴ, vel continuatio, cùm eidem loco immoramur, & ad idem argumentum aliis verbis & sententiis redimus.

Vitium autem Periergia dicitur, si in re tenui variãda supervacaneã, nimisq; curiosam ponas operam.

9. Digressio, παρέκβασις, est cùm ad

ad alienæ rei tractationem extra ordinem, delectationis caussâ excurrimus.

Græcè ἐκβολὴ λόγου, Cicer. declinatio à proposito. Estque triplex. 1. Expressio, ἔκβασις, *major est excursio, ut illa de virtu Camillæ apud Virg. & illa Ciceronis contra Chrysogonum pro S. Rosc. Amerino. Post tales digressiones, ne reditus ad rem durus orationem deformet, adhibetur formula:* Sed ut redeam, unde digressus sum: ut revertar ad propositum: quò dilabor &c. 2. Brevior *ab ipsa caussâ excursio.* 3. Brevissima, *(parentheseos virgulis inclusa) Quintiliano interpositio vel intercluſio, cùm cōtinuationi medius aliquis sensus intervenit.*

Sed Digressiones omnes, nec nimis crebræ sint, nec nimis longæ, nè plura παρεργα, tractētur, quàm ἔργα. Imprimis caveatur à parenthesium longitudine & frequētiâ, unde insulsa & distorta oratio. Vbi vero aliquando ex necessitate justo longior digressio; adhibeatur repetitio. Vt pro Archia: Quoties ego hunc vidi, Iudices, (utar enim vestra benignitate, quoniam me in hoc genere dicendi tam diligenter attenditis,) quoties ego hūc vidi &c. Digressionì *in quibusdam* affinis *est.*

Transitio, μετάβασις, estq; cùm breviter monemus quid dictum sit & quid dicendum restet. *Vt: Mea in illum beneficia*

neficia cognoviſtis: nunc quam mihi gratiam retulerit, cognoſcite.

Conſtat ergo duabus partibus 1. brevi eorũ repetitione, quæ dicta ſunt. 2 promiſſione eorum, quæ dicenda reſtant. Vſus eſt, ut tamquã catenâ oratio connectatur, & melius memoriæ inſerviat.

10. Pathopœia eſt vehementiorum affectuum expreſſio. *Differt ab illa, quæ ſupra in Hypotypoſi; nam ea imitatio erat, & fixio alienorum affectuum: hic proprii exprimuntur affectus.* Inſignio-res *Pathopœiæ* conſpicuæ ſunt in exclamationibus, & ei ſubjectis Nam

Exclamatio eſt figura ſenſus affectum hunc vel illum connotans, per exclamationis notas expreſſas vel intellectas.

Sunt illæ: O, utinam, pròh, ah, heu, eheu, at, at at, væ, en, ecce, euge &c. Græca ἐκφώνησις & ἀναβόησις; item σχετλιασμὸς, quòd ſenſum aliquem doloris & indignationis per ſe ferat. Dicitur, vel intellectas: *quia non ſemper explicitè ponuntur. Vt: Rom. 7. Miſer ego homo, pro ô vel ah.*

Uti-

Utimur hac figurâ. 1. In Acclamando, & dicitur προσφώνησις, *Acclamatio. Vt: Heus omnium rerum vicissitudo est. Quando autem felicem aliquem prædicamus, dicitur* μακαρισμὸς *seu* εὐδαιμονισμὸς. *Vt Virg. ô terq; quaterque beati &c.* 2. *In* Admirando. *Vt: Matth.* 15. *O mulier magna est fides tua.* 3. *In* laudando. *Vt: Matth.* 25. *Euge serve bone.* 4. Commiserando. *Vt* 1. *offic. O domus antiqua, heu quàm dispari domino dominaris.* 5. Dolendo & Conquerendo. *Vt: Me miserum &c.* 2. *Reg.* 14. *Heu mihi, vidua sum.* 6. Optando, & *dicitur* εὐχὴ, *votum. Vt: Ah, utinam cœlos rumperes & descenderes.* 7. Obtestando. *Vt: Terent. in And. Proh Deum atque hominum fidem! quid est contumelia, si hæc non est? Item: Testor Deum & homines, testor conscientiæ meæ penetralia.* 8. Ominando & comminando. *Vt Matth.* 13. *Væ prægnantibus. Potest & absque ejuscemodi particulis enunciari.* 9. Indignando. *Vt Cic. in Pison. ô scelus, ô pestis.*

tis. Rhetores vocant *aganactesin.* 10. Objurgando. *Matth.* 17. *O generatio incredula. Rufiniano haec figura est, quoties adversarium iisdem verbis, quibus ab eo lacessiti sumus, impetimus. Vt:* in te *vero conveniebant omnia, quae in me intemperanter ejecisti,* tu *ista es labes patriae,* tu *pestis,* tu *scelus. Rhetoribus dicitur Epiplexis & Epitimesis.* 11. Irridendo. *Vt: Gen.* 3. *Ecce Adam sicut unus ex nobis factus est. Huc etiam pertinent lepidi sales & joci. Vt: O Stultos Camillos, Fabricios, Sciprones, Marcellos, Maximos! O amentem Paullum! Rusticum Marium!* 12. Imprecando & exsecrando. *Vt: DI te perdant fugitive; Cic. pro Dejot. Iulianus & Rufinianus vocant ἀρὰν, acerbam execrationem cum imprecatione conjunctam.* 13. Desperando. *Vt: O fruſtraneos meos labores.* 14. Obsecrando. *Vt: Per tua illa sacra pignora oro.* Huc spectat tandem:

Epi-

Epiphonema, ἐπιφώνημα, *nonnullis etiam Acclamatio, estq; amplificatio vel* figura amplificationis, non nisi sub finem adhibita, tamquam rei narratæ vel probatæ summa, *sententia, & summa acclamatio, ut plurimùm admirationis augendæ causâ. Vt: Virg.*

Tantæ molis erat Romanam condere gentem. *Item:*

Vsque adeò à teneris assuescere multum est. Vtimur hic particulis: Vsque adeò, tantus, hic, ista, hic, hoc &c.

CAP. XVIII.

DE SUADA INTERNA secundaria.

HOc nomine *venit* Numerus, *quẽ ex specie subjecta quadam vocant* Oratorium, *& nisi ad Grammaticos relegaremus* 1. *Euphoniam in concinna vocum conformatione earũdemque junctura, collocatione seu contextu consistentem.* 2. *Intervalla.* 3. *Copiam verborum: ad hanc utique Suadam ista essent referenda.*

Et

Est autem Numerus Oratorius, quantitas & dimensio certa syllabarum, quâ membra sermonis aptè cadunt.

Differt à Poëtico. 1. Nomine. *Numerum Oratorium Græci Rhythmum, poëticum metrũ vocant.* 2. *Rhytmi spacio* temporum *constant, pedes etiam* ordine. *In Rhythmo enim nihil refert, Dactylus sitnè an Anapæstus, cùm eodem temporis spatio constet uterque: In versu autẽ pro Dactylo poni nõ potest Anapæstus.* 3. Metri *semper* idem *est* cursus; *ut in Heroico Dactyli & Spondæi;* in oratione alius atq; alius numerus *adhibendus, ut nullus sit, qui non aliquo loco adhiberi possit.* 4. Origine. *Nam Rhetoricus ex illo originem traxit, postquã Rhetores animadverterũt, Poëtas multùm delectare & movere.* 5. Caussis modisq; variis, *ut ex iis infra apparebit.* 6. Evidentiâ. *Numerus Poëticus est essecq; debet evidens: Oratorius celandus varietate & ornatu b. aliis Rhetoricis additis, nè appareat industria & delectationis aucupium. Nam aliàs* 1. *agnoscitur esse numerus & cognitum artificium contemnitur.* 2. *satietatem parit.* 3. *In suspicionem aut etiam contemtum incurrit orator, ac si relicto rerum pondere syllabarum quantitates sectaretur. Caveatur ergo affectatio, & operosa numerorũ accumulatio.*

Sicut

Sicut Cicero Thrasymachum Chalcedonium, cui primam numeri inventionē attribuit, nimis numerosè scripsisse ait; & Gorgiam (quem hanc artem amplificasse ait) intemperātius ea abusum pronunciat. 7. Frequenti. *Metrū perpetuam habet pedum observationē & caesura: Oratorius nō nisi certis in locis pedes observat, & potissimùm circa clausulas, nōnihil in principio, ferè nihil in medio.* 8. Facili ate & difficultate. *Oratorius difficilior est. Nā in versibus, ut ait Cicero, certa quaedam & definita lex est, quam sequi sit necesse. Oratio a. quæ prosa vel numerosa dicitur, nec esse debet emmetros, seu numeris planè distincta, neq; ametros, vel à numeris aliena, & licet soluta, tamen non dissoluta, sed temperata: non claudicans & quasi fluctuans, sed æqualiter constanterq; ingrediens: non tota numerosa, sed quæ ad numeros proximè accedit. Vnde Aristoteles 3. Rhet. cap. 8.* Rhythmum *(vel numerum)* oportet habere orationem, non metrum. Alioquin Poëma erit. Neq; numerum habebit exquisitè &c. *Quam Aristotelis sententiam Cic. 3. de oratore, Quintil. lib. 4. cap. 4. & praxis Oratorum comprobant. Interim citare versum mentione autoris non est vitiosum.*

At oratio prosaica formāda, nè versum cōtineat. Inprimis principiū & finis. Vnde regula *vulgaris:* Principium & finis carmini nō debent fieri principiū & finis prosæ. *Inprimis fugiendus*

giendus in prosa versus, qui facilè sentitur: Et quamvis cuilibet facilè excidere potest aliquid quod metri dimidium vel totum metrum faciat, multos etiam versûs imprudenter factos in Catone, Salustio, Livio, Cicerone collegerit Muretus, Quintilianus in Platone, Taubmannus in Plauto, Falchenburgius in Tacito, Giessenses in Sleidano & ICtis & in N. Testamẽto Græco versûs 243: neq; in medio tantùm, sed etiam in principiis & finibus versus occurrãt apud eosdem: vitiosum tamen id cum Cicerone in Oratore censent oratores, responsi Ciceroniani memores in orat. ad Brutum Versûs sæpe per imprudentiam dicimus, quod vehementer est vitiosum. Idem Quintilianus: monens insuper non videndum quid fiat; sed quid per ornatum fieri debeat.

Ridiculi ergo hoc loco Ramus & Talæus, qui hujus loci totam poëticam faciunt, & hic de diversis agunt carminum generibus. De pedibus enim & numeris hic quædam præsupponenda sunt ex Grammaticis & Poëticis.

Et ut quæstio an sit dilucidior evadat. Quãvis eruditi multi numerum hunc oratoriũ nõ usquequaq; observaverint; tamen præstantissimi Oratores Aristotelem sequuti, magni eum fecerunt: Cicer. in orat. ad Brutum legatur, ubi inter alia affirmat auditores suos sæpè exclamasse applausum testãtes, cùm verba aptè ceci dissent. Itaque orationis hoc modo faciendæ & ornandæ

randa Cicero uti artifex ipse fuit, sic etiam de re tota præcepit diligentissimè. Quintil. lib. 9. cap. 4. ait: Plurimùm refert in cõpositione, quæ quibus anteponas: & licet propter compositionis decorem rerum etiam ordinem quandoq; turbare &c. *Fabius addit:* Neq; verò Demosthenes fulmina tantoperè vibrasse diceretur, nisi numero contorta ferrentur.

Efficiens est crebra exercitatio, quâ numerosè scribimus & dicimus, licet de pedibus & numeris non cogitemus; (*sicuti poëtis exercitatis numeri poetici sponte occurrunt:*) *præsertim si clarâ voce scripta recitemus, aut alios numerosè perorantes frequenter audiamus.*

Inventa autem hæc ars fortuitò. Nam cùm aures notassent, id quod casus effudit, cecidisse jucunde, hac notatio & animadversio artẽ peperit, licet serius, esse quosdam certos verborũ cursûs & conclusiones, sicut & hodie multi naturâ numerosè dicunt, etiamsi nihil factum sit de industria. Primum verò autorẽ & invẽtorem Plinius modò Cadmum, modò Pherecidem Syrum facit. Isocrates autem Gorgiæ auditor & optimo primus celebratur in hac arte Magistro & accuratiores in numero hos observãdo

semper

semper Graci, quàm Latini, iisq; majori linguæ copiâ & varietate abundantibus, priùs observatus ac usurpatus.

Finis est Euphonia, suavitas & delectatio, ut & his percellatur auditor.

Aures enim vel potiùs animus aurium nũcio judicat, quæ longiora vel breviora, mutila vel perfecta, moderata semper exspectat, immoderatius excurrentia & productiora adversatur. Itaq; vicissitudines numerorum efficient, ut nec satiẽtur qui audient, nec orator, quod facit, operâ deditâ facere videatur. Id quod in periodis notandum tum longis, tum initiis & clausulis.

Forma est, ut variè inter se permisceantur numeri, *& sint tum poëticis, tum sibiipsis perpetuò dissimiles, nè aurium satietate repudientur; obque causas, quare vitanda affectatio.*

Offendit enim numerus similitudine, & affectatione deprehenditur. Et periodi earumq; partes omnes genus pedum recipiunt, sed rei generiq; dicendi proposito congruentes.

Materia vel subjectum, cui inest numerus, vel cui competit, con-

consideratur vel in sermone vel re sermoni subiectâ. In sermone vel generaliter vel specialiter. Generaliter in quavis periodo: Specialiter in partibus orationis.

Res *vel materia subiecta*, *si* gravis, syllabis *ut plurimùm* longis, *vel spondæis orationem tardam facientibus* constabit. Levis, *oratione exili, & syllabis plerumquè* brevibus, *Iambis, Choreis, Dijambis, Dichoreis.* Mediocris, pedes *hos* mixtos poscit.

Orationem celerem ac concitatam faciunt Pyrrichii, trochei, jambi & dactyli. Momentosa & memorabilis requirit pedes proportionem habentes sesquiplam, ut sunt Ionici præsertim Ditrocheus, omnium apud Ciceronem frequentissimus.

Periodus ejusque partes omnes, numeros suos habere debent.

(Falluntur enim qui censent, cadere tãtùm numerosè oportere terminarique sententiam. Cicer. in orat. Quintil. lib. 9. cap. 4.) Vt verborum comprehensio à capite ad extremum aptè fluat, tamen clausulæ præcipuè, principia mediocriter, media nõ tantoperè, quia pauci prima

ma observant, pauciores media, plerique postrema.

Principium iisdem nè cõstet numeris, quibus exitus. *In principio Aristoteles dactylum maximè probat & Pæonem priorem vvv. His Cicero amphimacrum seu creticum anteponit. Dochimus v - - v - ubiq; aptus, dummodò non statim continuetur. Mollossus, Anapæstus & spondæus principiis etiam apti.*

Clausulam (in qua longiùs à fine senis syllabis observatio numeri non procedit) quantum fieri potest, constare tribus pedibus dissyllabis vult Quintilianus. Aristoteles autem clausulas esse vult longiores, ut aurib. satisfaciãt. Et Demosthenes in clausulis plurimùm usus est spondæo tamquã firmo & stabili. Cic. *in Oratore* inter omnes pedes clausularum commẽdat Dichoreum (*ut in voce:* Comprobavit) *quem ei fuisse etiam gratissimũ testis est Fabius & exempla in ejus orationibus contestantur: Nam sonus est gratissimus. Clausula ex solis spondæis tardior est & rarior; ex omnibus brevib. sive solis Pyrrichiis adhuc rarior. Vltima verò syllaba longa subinde clausulas exornat. Pæana secundum in fine probat Aristoteles, ut v—v v quem Cicero non improbat, sed Creticũ præfert: qui sive geminetur sive spondæum præcedat in clausulis, multũ habet decoris. Non benè claudunt orationẽ duo Pyrrichii;*

chii; Iambus cum Pyrrichio; Anapæstus cum Spondæo; dactylus cum Spondæo.

In partibus Orationis aliis alii pedes observantur.

In narratione plerumq; longiores, quia memoriæ aliquid mandandū. In confirmatione, ubi argumēta acria, celeres: quia urgetur adversarius. In refutatione mixti: prævaleant autem longi. In peroratione longiores; quia ibi sistitur & figitur oratio, & animum in auditoris velut fortiùs imprimitur. In exhortatione Anapæstus, fluens per duas syllabas celeres, & in longam desinens, ut stimulus in animo ejus, quem exhortamur, relinquatur.

Verùm hic Coronidis loco moneo, minùs solliciti sint Iuniores de numero, quam reliquo ornatu oratorio; tum quod aurium judicio exercitati de facili numeris convenientibus adsuefiant; tum nè metus impetū dicendi retardet, & à potioribus avertat. Nescio enim hic nimia sollicitudo num amplectenda; sufficiet aliqua. Neq; tanti est hæc facultas numerosè dicendi, quanti laboris videtur. Exercitatio penè sola, ut ex tempore etiam aptè numeroseque dicas, efficiet. Sicut enim Musicus in principio præmeditatè artis sua præscripta observat: ubi verò usus accessit, sine cura & cogitatione eadem illa incredibili celeritate efficit. Sic & Orator exercitatus quoties mente ac voluntate se ad dicendum

dicendum cõferet, & verba numerosa sine labore consequetur. Inprimis cavebatur, nè propter numerum 1. apertè nimis verba traiiciãtur, quò melius aut volvatur aut cadat oratio. 2. nè inania quædã verba quasi cõplementa inculcentur. 3. nè voces inutiles loco emphaticarum ponantur. Dura enim, modò significãtia, inter se commista, potiora sunt inutilibus.

Cap. Ultimum

DE VARIIS GENERIBVS ornatè potenterq; dicendi.

Ornatus hactenus explicati prout variè adhibentur, ita Rhetores autorũ praxi edocti varia fecerunt dicendi genera, vel formas diversas, quas Græci characteres, Hermogenes & Plato εἴδως & Ἰδέαν λόγου, item σχῆμα λόγου, effigurationem sermonis, Cicero in oratore formam aut genus dicendi vocat. De quibus formis multi scripsêre, inprimis Hermogenes, Demetrius Phalereus, Cicero in oratore copiosè, & Fabius lib. 12. cap. 10. Materiæ enim diversitas variani requirit formã: Aliâ enim principi, aliâ privato dicendum; Aliâ ad agricolam, militem, Philosophum; & prout auditores adesse animadvertimus. Sic si res sunt tenues & exiles, etiam genus dicendi erit exile.

Vt

Vt de musca, culice, stillicidio, de tribus capellis &c. Si res magna, ut de rebus pertinentib. ad Rempubl. de crimine læsæ majestatis &c. grave: Si res mediocris, genus etiam dicendi mediocre erit.

Sed cum varietas delectet; artificiosè, rebusque, personis, fortunæ, loco, tempori &c. congruenter illa genera misceri solent & debent. Nam ut Cicero ait, eloquens est, qui poterit parva summissè, modica temperatè, magna graviter dicere. Hinc nulla ferè est oratio Ciceronis, in qua non interdum omnia hæc genera: ut in exordio ferè mediocre, in narratione mediocre aut attenuatum, in confirmatione & refutatione plerumq; subtile, sæpè etiã grave, in amplificatione & peroratione vehemẽs: sicuti cum Valerio rectè docet Sturmius 1. de Elocut. cap. 2. Demetrius Phalereus quatuor facit Characteres, Hermogenes septem, ex quibus omne genus dicendi Demosthenicum constare existimat. Vt sunt. 1. Perspicuitas. 2. Magnitudo seu amplitudo. 3. Venustas. 4. Velocitas. 5. Morata æquitas. 6. Veritas. 7. Gravitas. Sed sunt trium generum affectiones: aut pluribus generibus communes, aut alicujus generis propriæ; sive id perpetuò, sive non: prolixè hoc momente Scaligero 3. de re Poët. cap. 1.

Sunt ergo *commodè secundùm Cicero-*

ronem tria dicendi genera: Grande, Humile & Mediocre.

Grande, *aliàs grave, sublime, amplum, vehemens, patheticum, copiosum, Quintiliano lib. 12. cap. 10. est quasi vis oratoris & perfectio, vel perfecta quadam orationis species, unde reliquæ velut æstimandæ.*

Dionysius Longinus Rhetor. præclarus, qui de genere dicendi libellum scripsit, judicat sublime hunc grandem, etiâ cum vitiis quibusdam inquinatur, præstantiorem esse mediocri nusquam impingente. Sequatur autem studiosus præcepta Ciceronis 1. offic. ubi ait: Quidam in singulis dicendi generibus, perpauci in omnib. floruerunt. Ad quas autem res natura quisq; aptissimus erit, in iis elaboret potissimùm.

Requirit *hoc genus etiam* animi magnitudinem: *Nam animus humi repens quomodo grandia vel cogitabit vel proloquetur?*

Constat 1. verbis vegetis, *masculis, robustis*, grandibus sive propriis sive tropicis, ipso sono auditorem excitantibus,

tibus, per Onomatopœiam fictis, polysyllabis item & compositis, non tamen insolentioribus, & descriptione vel definitione dilatatis: item, geminatis, iteratis, & ubi contraria, relata, paria & similia, contrariis, relatis &c. respondent: præterea asperis & durioribus (si talis materia) tum significatione, tum sono, ut ubi littera R geminatur, aut alia cum consonante iungitur. Vt: Vulnera Reipubl. &c.

Probat enim exemplo Thucydidis Demetrius Phalereus, in magnifica oratione rarò admitti suavitatē compositionis. Ille enim sublime genus consectatus, de industria fugiebat æquabilem compositionem, accersitis crebris verborū trajectionibus, durisq; consonantium & vocalium concursibus. Hinc invehitur Cicero in oratore ad Brutum in eos, qui cùm mutila quædam & hiantia locuti essent, genuinos se Thucydideos profiterentur.

2. Plenissimâ compositione, membris & periodis oblongis. *Hisce tamen brevia quædam membra, ubi quid dignitatem habet, non indecens est inserere.*

Scaliger autem 4. de poët. mones, non tam incisis & periodis quam circumductione ut ēdum, vel accumulatione orationis, ubi sermo est copiosus, numerosus, plenus, uno verborum ambitu & cursu circumductus. Hic enim princeps est in amplo dicendi genere, quasi in aciem veniens, instructus exercitu, & pugnans condensato milite. Quo spectant figura: enumeratio, continuatio, distributio &c.

3 Affectuum vehementium motu.

4. Crebrioribus grandioribusque Allegoriis & Metaphoris, *paullò longiùs petitis, concinnioribus tamen. Orationem enim reddunt augustiorem, & admirationi sui excita a, sublimem quamdam suavitatem animis auditorum affundunt.*

5. Figuris: *Interrogatione, aversione, occupatione, præteritione (ut cū vulgo loquamur) reticentiâ, vel ellipsibus seu phrasibus per affectum præcisis, rerum magnarum descriptionibus, cōparationibus, similitudinibus, distributionibus, congerie, cōmorationibus, exclamationibus, repetitionibus, prosopopœiis, vehemētibus amplificationib. & copiosis exaggerationibus, acutis enthymematis & crebris dilēmatis, asseverationibus, non dubitationibus, præsertim cùm liberiùs & asperiùs facta aut perso-*

na

na perstringuntur, transitionibus subitò aliquid & nouum inexspectatũ auditori offerentibus, apostrophe ad aduersarios nervosa, ubi orator aliquem alloquetur, patriam loquentẽ faciet, defunctos excitabit &c. citationibus efficacium verborum ex Poetis insignioribus, sed rarius; rarius etiam proverbiis grandiorib. & priscis vocabulis, non tamen prorsus exoletis.

6. Numeris, *vehementioribus quàm suavioribus, molossi, dichorai, dactyli & paeonum: & dactylico inprimis rhythmo, modò vitetur versus heroicus, oratio characterem vehementem accipit. Et si oratio est invectiva & insectatoria, clausulæ sint jambicæ, pyrrhichicæ, trochaicæ; in quibus numeri minuti & celeres ad insectandum apti.*

In hoc genere, quod tam magno apparatu, pompâ, gravitate, copiâ, quasi de industria ornatum ostendit, vique pollet maximâ, ferè est Livius, & Cicero in oratione pro Rabirio, pro Milone, in Catilinam. 1. In Antonium. 2. In Verrem, in Pisonem, in Rullum.

Vitium contrarium dicitur turgidũ & inflatum atque verborum insolentiâ horridum, ex perpetua periphrasi, audacioribus, prodigiosis & periculosis metaphoris &c. vocabulis nimis tumidis, quæ Aristophanes vocat μεγαλοφωνα, id est, decies mille amphoras aquantia, Horatius ampullas & sesquipedalia verba.

Humile *dicendi* genus, *aliàs tenue seu attenuatum, subtile, gracile, pressum, summissum, acutum*, parùm assurgit supra communem loquendi consuetudinem, *diligentia coagmentandi verba multiæque verborum transpositiones prætermittuntur, parciùs & prope nihil adhibet insignes ornatûs, tropicos vel figuratos aut numeros: acumine tamen & lepore delectatur, translationibus nonnullis (non tamen ita crebris, ut in genere amplissimo) sententiis, præsertim acutis, humilibus ac tenuibus.*

Hoc in orationibus dicebatur Atticum, Philosophorum disputationibus & sermoni familiari usitatum: cujus contrarium vitium dicitur exile, id est, aridum & exsangue, cum brevitate jejunum, horridum & obscurum.

Tenui genere utitur Cicero in Dialogis, in Philosophicis disputationibus, in plerisq; epistolis ad familiares, ad Atticum, Brutum &c. fratrem; In aliquot orationibus, ut pro Cecinna, de fundo, pro Quinctio, de societate, pro Roscio Comœdo.

Mediocre, *temperatum atque inter tenue & grande interjectum*, Quintilianus lib.

lib. 12. vocat genus floridum, in rebus magis copiosum, quam verbis, dicitur aliàs æquabile, quod liquido & æquabili cursu, instar rivi lympidi decurrat. Cicero in oratore ait: Est Character interjectus, intermedius & temperatus, nec acumine posterioris, nec fulmine utens superioris &c. Hoc medio se habet modo, abundatq; metaphoris & figuris suavibus, minore gravitate & pompâ quàm in grandi, sed suavitate majori in numeris, compositione, concinnitate &c.

Vitium hujus generis fluctuans & dissolutum appellatur.

Vtitur hoc genere Cicero in oratione pro lege Manilia, post reditum ad Quirites & in senatu, pro M. Marcello, pro L. Cor. Balbo. In hoc genere scribunt Historici: sed Livius plerumq; sublimior est; Cæsar humilior, quamvis peculiari quodam stylo non facilè imitabili.

Atque cùm plures sint res mediocres, quàm grandes, & pluna etiam ingenia formæ dicendi mediocri apta; hinc pluribus rebus hæc forma applicari potest, quàm grandis. Plerumq; autẽ hodie orationes mixtæ sunt ex grandi & medio genere. Humiles namque res rarò in orationẽ solennem veniunt: De gravibus cùm dicimus, ad divina, politica &c. pertinentibus, plerumque etiam res mediocres admiscemus.

II. Deinde aliud est genus dicendi familiare & imperfectius, *ut in familiaribus colloquiis & epistolis, quod secundariò considerat Rhetorica:* aliud grave & perfectius, *ut in orationibus.*

Hoc illius est norma & regula. Ideò non opus est novis & prolixis institutionibus de formando sermone familiari & conscribendis epistolis. Perfectam enim Orationem tractare qui novit, facilius imperfectam formaverit.

Quamobrem non affectatè nimium, ut juvenes quidam faciunt, vel loquendum in familiaribus congressibus, vel scribendum in epistolis. Et genus dicendi familiare facilè ex perfecto cognoscitur, factâ comparatione quasi curvi ad rectum.

Requirit *autem* sermo familiaris 1. Characterem dicendi humilè, *quales sunt res, quas frequentius in usu vitæ humanæ profert: argumenta enim sunt familiaria, non rara, capitu facilia.* 2. Verba maximè propria; & si metaphorica, non longè petita, *aut à rebus subtilibus, item pura & evidentia, in quibus parum etiam ornatus.* 3. *Non magnas exaggerationes*

&

& amplificationes. 4. Nonnumquã, sed rarius sententias argutiores, collocutor si est sapientior; ut aliquid ipsius acumini æstimandum relinquamus. 5. Figuras rariores: *Sæpè aversiones & transitiones aptas, apostrophē, prosopopœian, & vehementiora schemata ad grade genus relegat. 6.* Numeros parum curat, *magna membra & periodos non amat.*

Sermo familiaris vel est solitarius, *in quo unus tantum præcipuè loquitur,* vel socius, *in quo duo vel plures alternatim loquuntur,* & dicitur Dialogus. *Isque vel verus; vel fictus, quo introducuntur personæ quasi colloquētes; quâ formâ multi etiam didactici pariter & & polemici libri scribūtur. Tales Dialogi Platonis, Roterodami &c. Et huc accedunt Comœdiæ. Paullò majori curâ cùm fit & scribitur, dicitur Epistola: quæ est sermo familiaris ad absentem vel quasi absentem.*

III. Præterea genus dicendi vel est fusum, laxum & Asiaticum (*accepto hîc Asiatismo non in malam partem pro orationis vitio*) vel concisum & Laconicum, vel medium.

Laxum, *quod sequitur plerumq; Cicero*, est quo res periodis longis & cir-

eumductis tractantur, *totâ orationis structurâ fusiore, amplificationibus & probationibus copiosioribus, vel multa de multis dicimus, & pauca prolixè.* Usurpandum *in argumentis minùs sublimibus & minoris momenti; item in argumentis dogmaticis, auditoribus aut rudibus explicandis, tamquam ignotis rebus, in quibus perperam utitur quis Laconismo: item in orationibus suasoriis, petitoriis &c.* ab hominibus minùs occupatis; *juvenibus, qui ut abundant humoribus & spiritibus, ita & cogitatione & sermone; ab iis qui humilioris & abjectioris sunt sortis;*

Ad minùs occupatos.

Laconicum econtra usurpandum ab ætate maturiori, *ubi corpus siccius, ideoque cogitatio strictior, & oratio concisior. Quâ de re videatur Lipsius, summus in hoc genere artifex atq; magister. Item à rege vel magistratu aliquid jubente, & ab eo, qui ad severitatem aliquam comparatus est, & conceptûs habet*

bet strictos, quales fuêre Lacedæmonij, unde ortum habet Laconismus. Magnanimitas enim quædam in Laconismo est.

In argumentis politicis: Vt dandis responsis ad legationes, in orationibus militaribus, dandis votis senatoriis, in orationibus mandatoriis & objurgatoriis; varius in gratulationibus, laudationibus, & exceptoriis orationibus solemnioribus.

In magnis occupationibus, præsente necessitate & casu inopinato; ut si bellum ineundum, hoste moram non concedente, substrictâ penetrant ęq3 oratione feriendi sunt militum animi.

Constat ut argumẽtis, probationibus & amplificationibus paucionibus & selectioribus cõglomeratis, ita verbis selectis, efficacibus, sublimibus, tropicis; ellipsibus frequentissimis, quibus vox aliqua non semel tantùm, sed sæpius nonnumquam subintelligenda, etiã in diversis sententiis; improvisis connexionibus, paronomasiis, non tamen nimis frequentibus. Lipsius in his parcus & judiciosus.

Absunt hîc plena periodi, manifestæ occupationes, prosopopœiæ &c. & diffusa omnia.

Numeros Laconismus non ita curat.

Medium *genus inter Laconicum & Asiaticum*, ad docendum & explicandum accommodatum est *admodum*, & viris eruditis *ut Sallustio, Roterodamo, Vivi, tum plerisque nostri sæculi* frequentatissimum.

Vt liquet in Scaligero, Casaubono, Grutero, Heinsio, Taubmanno, Dousa, Baudio &c.

Nec est hoc idem, quod medium inter amplum & humile; illud enim medium grandiū & tenuium; hoc laxorum & strictorum.

Interim de stilo & dicendi filo observandū, cùm quidā esse dicant vel Tullianū, vel Lautinum, vel Philippicum, vel Lipsianum, & nescio qualem non; hic vel ille dicendi habitus laudetur ab his, culpetur ab illis: taxetur Lipsian°, ut affectatè brevis, coactus, obscurus, hiulcus; Philippicus ut puerilis & invenustus; Plautinus ut obsoletus; suo etiā ævo Cicero ut tumidior, Asianus & redundans, in repetitionibus nimius, in compositione fractus, exsultans, ac viro panè mollior; Livio objecta fuerit Latinitas, id est, sermonis quædam tum in verbis tum in stilo toto peregrinitas: non posse non cuilibet utut optimo Latino suam esse orationis faciem, panè ut in pingendo manum. Alio enim orationis habitu usus est Sallustius, alio Livius, alio Tacitus, alio Suetonius, alio Curtius.

Curtius. Et illo ipso Ciceronis sæculo notabatur Calvus ut strictior, Asinius numerosior, Cæsar splendidior, Celius amarior, Brutus gravior; ut totæ gentes etiam generibus dicendi distinguerentur. Hinc Attici dicti pressi, limati, integri & emuncti: Asiani cōtra inflati, tumidi, inanes & abundantes. Ipsum Ciceronis filium sermone à paternâ proprietate, elegātiâ & copiâ longè discedere judicat Manutius. Quid? in Cicerone ipso quāta diversitas à sè ipso? An eâdem dicendi facie peroravit 26. annorū juvenis pro Quinctio aut Amerino, quâ postea sexagenarius in Antonium? Quantum quæso stilo differunt, Oratio pro Milone, Tusculanæ Quæstiones, & Epistola aliqua ad Terentiam. Epistolis ad Atticū an multum dissimiles Lipsianæ? Et rectè judicat Taubmannus, tum dicta modo, tum eodem planè filo texi non debere orationes, & epistolas, & libros commentarios, nec à veteribus illis texta fuisse. Ex quibus omnibus rationem reddit idem, cur Lipsius in contextu orationis periodos, membra, numeros non eo planè habitu & filo quo cæteri, conformet; quamvis stilum Lipsii existimet aliquid habere vividum, alacre, eruditum, & quod sæpius repetitum placeat. Sed in juventutis gratiam hic adjicio admonitionē Lipsii de proprio stilo ad juventutem. Quæ dixi, inquit, de Brevitate, vis mihi dicta esse, non juventuti? Adeò enim hanc ad eam non voco, ut etiam abstterream.

absterream: sive quia tutò adsumere vix poterit, & Brevitatis imitatio facilimè ætatem hanc decipit: sive quia nec utiliter potest, & juvenili illo brevitatis studio (sæpè vidimus) aridus plerunque & exsuccus stilus evadit, nec facilè ad laudatam illam temperiem venitur, nisi initio ubertas quædam & luxuries fit, quam ætas paullatim depasca. *Hæc Lipsius.*

PARS SPECIALIS.

Pars Rhetoricæ Specialis de Suada externa agit, quæ non nisi inter pronũciandum adhibetur. *Vnde nonnulli hanc partem Pronunciationem vocarunt.*

Quia verò non in genere scriptioni juxta & pronunciationi competit; sed in specie huic, cuius propria est: hinc specialis pars audit vel propria.

CAP. I.

DE SUADA EXTERNA in genere.

ORnatus ille externus cõsistit in

in moderatione vocis, quæ aures movet; & corporis ejusq; partium gestu, qui oculos. *Hos enim per sensûs affectus potißimùm ad animum penetrat.*

Vtrumque alij actionis, *alij* pronunciationis *nomine vocitant: illud illi a gestu, hoc hi à voce. Actionem Cicero de oratore perfect. in vocem & motum divid. Quintil. lib. 11. cap. 3. in vocem & gestum. Cicero alibi etiam Pronunciationem vocat, definitq; ex rerum & verborũ dignitate vocis & corporis moderationẽ, 1. de invent. Autori ad Herennium 1. Pronunciatio est vocis & vultus & gestus moderatio cum venustate. Fabius etiam Pronunciationẽ nominat, quem sequitur Talæus & plerique Ramæi. Sed angustior est terminus vocis tantùm competens, gestum excludens. Vtrumque autem includit Suada externa vel ornatus externus ita à nobis dictus. 1. quia lumen troporum & figurarum est sermoni internum, necessarium, primarium, absque quo Oratio percellẽs ac ornata non est, sive scripta, sive recitata: Vocis & gestus moderatio orationi scriptæ planè non competit, recitatæ autẽ respectu interna Suadæ est minùs necessaria & c. 2. Suadæ interna ex mẽte & habitu Rhetoris proficiscitur Externus ornatus corporeis organis perficitur.*

Vsus

Usus ornatus externi est summus & *præstantissimus, tum in communi dicendi genere, tum in munere oratorio. Nam ad suadam sive orationem persuasivam non sufficit vera loqui aut veri similia, sed longè plura requiruntur: præsertim* cùm multi sensu ducantur, & objectis sensuum moveantur; *quam in rem actio faciet.*

Hinc rem acu non tangunt, qui hanc doctrinam ex Rhetoricis suis penitùs eliminant. Hæc enim, teste Cicer. lib. 3. de Oratore, in dicendo una dominatur, & sine hac esse orator summus in numero nullo poterit: Mediocris hac instructus summos sæpè superavit. Unde ab eodē ibidem, & in orat. ad Brut. dictus est eloquendi comes, & quasi corporis quædam eloquentia, constans ex voce atq; motu, item sermo corporis. Exemplo sit Hortensius, cujus oratio in dicendo vehemens fuit atque accurata: scripta non item. Et Balbæ, qui teste Cicerone in Brut. longè melius dixit, quam scripsit. Cneus item Lētulus nullâ aliâ de causâ inter magnos Oratores reputatus est, quàm ob actionem. Inest namque in voce, vultu & gestu quædam vis à natura data. Cicero 3. de orat. Ideò Theodori Tragici histrionis actionē cui vis oratori optat Aristoteles. Sicut enim in fabulis sæpè fit, ut

plus

plus laudis cedat histrionibus, qui agunt fabulas, quam Poëtis qui conscripsere; quòd fabulæ optimè scriptæ agantur, sæpe pessimè ideantur, & è contr. non ex se, sed vitio judicantium: ita actio elegans Orationem incomtiorē bonā reddit, & contra.

Sed & altero extremo peccant, qui cum Demosthene Actioni primas, secundas & tertias dant partes. Et sanè veteres nimis in actione scrupulosi: pro qua formanda, phonascis, id est, exercendæ vocis magistris, scenicis, histrionibus, lanistis, palæstricis usi sunt, ob mores ejus sæculi præsertim Græcorum ad vanitatē proclivores, quod liquet Demosthenis exēplo, qui ob actionis inconcinnitatem cùm explosus esset ab auditoribus, & ei prælatus Demades piscator: histrionibus operam dandō & gestus ad speculum conformando, vitium illud vulgò tum existimatū dedidicit. Sic & Cicero, Plutarcho teste, Æsopum Tragœdum & Roscium Comœdum suæ actionis censores esse voluit. Ista autē ars veterum non est studiosè revocanda; nam aliud jam sæculū, rebus & veritate ipsa quod movetur magis, quam fuco istius modi, eū irrideret penitùs, qui veterum more operosam illā actionem adhiberet.

Observetur autem 1. ut actio seu vocis & corporis moderatio, ad verborum, rerum, locorum, personarum & causarum conditionē accommodetur. Licet enim generalia multa

præcepta

præcepta sint ubiq; observanda, tamen aliter accommodanda actio in multis, quando dicendum tibi in foro tamquam causidico, aliter quando concionatori in suggestu, aliter quãdo declamatori in scholis, aliter quando legato coram iis, ad quos missus: ubi ut plurimùm gestus pauci, vocis varietas rara. Licet rursum animadvertendum, quid apud quamq; nationem deceat, ad quod Legatus vocem gestusq; accommodabit. Vnde meritò quid maximè in agendo decent in foro, judiciis, legationibus, Academia, Ecclesia &c. eorũ imitatione discendum, qui à rectè judicantibus approbantur, & in iis diu multumq; sunt exercitati. 2. Vt actio naturã quàm maximè sequatur, & evitetur omnis affectatio. Si iraq; scrupulosius alterius vocem, gestus, consuetudinẽ &c. quæ tuo cum ingenio & naturâ parùm congruunt, imitari coneris, vitium est non in minimis, cùm omne affectatum sit odiosum, & contra gratã, quæ quasi ex ipsius naturæ canali fluere videntur. Interim moderata & non coacta imitatio summoperè probatur. 3. Vt in voce juxta & gestibus singularis quædã animi moderatio & modestia appareat: nihil leve & vanum, nihil ferox & immodestum quasi Scythicum, unde & Scythicum dicendi genus antiquitùs dicebatur.

Priùs autem de voce, deinde de gestu, quippe qui voci accommodatur, dicendum: Et rectè Treutlerus cap. ult. meth. eloq. Vocis omnium maximè

maximè habenda est cura: quia si ea bona sit, gestus etiam omissi parùm detrahent, ut appareat in iis concionatoribus, qui magnâ vocis suavitate ita dicunt, ut pene in totâ concione corpus non moveant. Et paullò post: quia oratio magis ad auditum, quam ad visum refertur.

CAP. II.

DE VOCIS MODERATIONE seu aptâ pronunciatione.

PRonunciatio vel vocis apta moderatio præsupponit

1. Naturalem vocis bonitatem.

Quod si quis vitio ex natura vel assuefactione laboret emendabili, aut saltim excusabili, corrigat medicamentis, & inprimis exercitatione sedulâ: sicut Demosthenem ἰσχνοφωνίαν, vocem tenuem studio & usu emendasse historia referunt. Vnde Cicero ait rectè, vocem potissimùm pendere à natura, quæ primùm nobis optanda, deindè tuenda fuerit. 2. *Grammaticam & congruam pronunciationem*

nem. 3. Præcedentem debitam præmeditationem; nam ex tempore dicendi avocatur cura vocis, & nascituri ex rebus ipsis affectus.

Consideratur autem vocis moderatio hîc ratione *vel* qualitatis *vel* quantitatis, *vel* affectuum, *vel* partium orationis *aut sermonis cujuscunque.*

1. Ratione qualitatis vox sit *clara seu expressa, suavis, distincta, expedita, non balbutiens, nec canora, non agrestis, non effœminata, absona, littera neq; expressæ, neq; oppressæ, ut ait Cicero.*

Clara: *ut ab omnibus audiri possit.*

Suavis: *ne vel raucedine corrupta, vel per nares vox fundatur &c.*

Distincta: *ut singulæ partes, sententia & clausulæ dignosci possint.*

Omnes syllabæ etiam distinctæ audiantur, inprimis ultimæ: quamvis neque in principio, neque fine absorberi debent. Et verba, in quib. significatio aliqua emphatica, voce pleniore & erectiore proferatur, uti & verba quæ magnitudinem denotant, ut: tantus, quantus, magnus, ingens, immanis, immensus &c.

Expedita: *ut absque hæsitatione, absq; inter-*

interjecta tußi, exspuitione, exscreatione &c. proferatur.

Non canora: *nè legentes canere videantur.*

Canor autem obscurus à summis oratoribus observatus fuit & commendatus, atq; in animis auditorũ voluptatem excitat. Sed cautißimè usurpetur, nè apertus fiat, & vel inepta cantillatio, vel fractæ vocis tremor. Vnde Scalig. lib 2. de cauß. L. L. cap 58. Quod ad nostra quidem tempora attinet, nihil turpius putamus, quam cantunculis & vocularum tremulis assultibus gesticulari &c.

2. Quantitatem considero 1. Intensivè, in intentione & remissione. 2. Extensivè, in tarditate & præcipitantiâ.

Ratione intensionis & remissionis, non uno & eodem tenore decurrat. *sed 1. Vocis sonus utplurimùm medium teneat; unde gradatim nunc ad vehementiam ascendere poßit intensior acriorque, nunc ad lenitatem descendere remißior; rursumq; ad medium se revocare: prout res postulaverit.*

Nam justâ varietate moderata vox esse debet, non semper gravißima & languida. Submisso

missō enim murmure debilitatur omnis intētio, affectuumque commotio enervatur. Nec semper acutissima & cum contentione. Omnia enim clamosè dicere & voce stentoria, insanū. Atq; in genere vitiū odiosum est μονοτονία, quando vox semper & ubique eadem. Itaque licet non magna, aliqua tamē vocis vicissitudo & declinatio laudatur: prout vel verborū dignitas, vel sententiarū natura, aut inchoatio, transitus &c. postulabunt. Nec in diversis tantùm rebus; sed etia in iisdem partibus iisdemque affectibus, quadam non ita magna vocis mutationes adhibebuntur. Nam varietas gratiam præbet, renovat aures, & dicentem ipsā laboris mutatione reficit.

Ratione tarditatis & celeritatis sermo etiam mediocritatem servet, *nè nimis tarda sit, tadium pariens, aut nimis præceps, qui nec ab auditoribus satis percipi, nec eos rectè movere possit.*

Sicut quidam notante Quintiliano, dicunt crebro anhelitu, & introrsum etiam clarè sonante, sicut jumenta, onere & jugo laborātia: quod quidam affectant, ac si meditationū copia abundent, majorque vis eloquentiæ subsit, quam emitti faucibus possit.

Ratione affectuum *vel maximè* vox figuranda.

Vnde

Vnde Cicero in orat. perfecto ait: Vocis mutationes totidem sunt, quot animorum, qui maximè voce moventur. Ideò sicut te affectum videri, & animum audientis movere voles; ita certum tibis sonum. Cicero generalem dat regulam, ut:

Contentâ voce dicatur atrociter, submissâ leniter, inclinatâ graviter & cum dignitate, inflexâ miserabiliter.

Specialiùs & enucleatiùs ita evolvemus:

Postulat vocis genus.

Iracundia incitatum, *præcipitatum, acutum, crebrò insidens; sicut & iratus præcipitat spiritus, & cum impetu quodam eiaculatur.*

Voluptas, effusum, *lene, tenerum, hilaratum, nè tamen in cachinnum aut risum intemperantiorem solvaris.*

Dolor & *molestia sine commiseratione*, grave *quiddam, immò pressu ac sono obductum.*

Miseratio, *flexibile, plenum, interruptum*, flebile.

Metus & verecundia, *contractum*, demissum, *hæsitans* & abjectum.

Co-n

Confessio, *satisfactio, blandimenta &c.* leve & submissum.

Vis, *contentum*, vehemens, *quâdam incitatione gravitatis imminens.*

Suasio, *monitio, promissio*, grave & *forte.*

Consolatio, triste ac submissum.

Laudatio, *gratarum actio &c. latum*, magnificum, & *sublime.*

4. Ratione partium Orationis.

1. In *principiis &* exordiis *sermonum* vox *plerumque* sit *venusta*, verecunda, lenis, temperata: *Postea vox gradatim ascendat, & in progressu contentior. Nam clamare ab initio, agreste & rusticum est, & quamdam præ se fert ferociam atque audaciam.*

Vbi verò exordia manifestam habent indignationem, ut in accusationibus, aut aliquam alioquin vehementiam; vehementia exordia etiam orationibus decus addunt. Vt in orat. prima Catilinariâ: Quousque tandem, Catilina, abutere patientiâ nostrâ? &c.

2. In narrationibus, *itemque* familiari-

Naribus colloquiis, vox sit aperta & simplex, *nisi affectus aliud postulet.*

3. In explicationibus *recta &* media inter acutam & gravem.

4. In probationibus varia *& multiplex, & argumentatio plerumque agiliorem & actiorem vocem postulat.*

5. In amplificationibus contenta, *fortis & aures feriens.*

6. In confutationibus severior, *nisi argumenta adversarii tam sint levia, ut Ironica vox requiratur.*

7. In perorationibus *non quidem clamosa, attamen* excitata, *& juxta rerum qualitatem flebilis, atrox &c.*

CAP. III.

DE GESTV.

HVjus actionis olim major erat usus, quàm nostro sæculo, quò verissimũ illud: Ingestibus melius fieri, si peccetur in defectu, quam excessu. In excessu enim histrionicum quid præ se fert, in defectu speciem modestiæ. Olim enim

adeò impensè operam huic actioni dederunt, ut genus quoddam scenicum, mimicum dictū, constiterit, quod paucis aut nullis sermonibus adhibitis, gestu, habitu & motu corporis tantum se expressurum profitebatur, quantum disertissimus Orator dicendo posset eloqui. Hinc Rex Ionti petiisse sibi à Nerone Mimum dari dicitur, quo apud exteros uteretur interprete. Notum etiam est hominis diversarum linguarum gestibus animi conceptus mutuò exprimere. Immò bruta ejuscemodi signis affectus suos enunciant.

Medium autem hic tenendum, ut gestus accommodetur ad res pariter ac verba, & non demonstratione scenica, sed aliquali significatione declaret id, de quo sermo est. Nam & veteres quosdam videmus approbasse hanc mediocritatem. Quintilianus ait: Abesse plurimùm à saltatore debet Orator, qui dum oratorem agit, non debet agere Comœdum. Aeschines in oratione contra Ctesiphontem laudat Solonem, quòd inter dicendum nè quidem manus extra pallium protulerit. Cicero refert, Hortensium in motu & gestu plus artis habuisse, quàm oratori satis esset. Et Titius quidam tam mollis & solutus in gestibus fuisse dicitur, ut saltatio quadam nasceretur, cui nomen Titius.

Gestus

Gestus vel est totius corporis, vel ejus partium. Totius vel stantis vel sedentis. Stantis corporis status sit secundùm naturam erectus & excelsus.

Non tamen Thrasonicus. Si quæ vehementia vel animi commotio quandoque significanda, levi saltim consistentiæ (vel sessionis, quando sedetur) mutatione ita faciendum est, ut appareat animum vi rei commotum, ratione & naturæ probitate se continere ac decorum servare.

Sedentis etiam (*in senatu &c.*) sessio decora sit, superior pars corporis erecta, inferiores partes immotæ. *Sed quia inter dicendum potissimùm & plerùmque statur, inferiorum partium gestus de stante intelliguntur præcipuè.*

Caput demitti potest in humilitate & modestiâ *significandâ*, elevari *erectiùs* in comminationibus & invocationibus, resupinari subitò in Ironi-

eis & irrisionibus. *Nam continuè resupinatum caput, arrogantiæ signum; in latus inclinatum, languoris. Solo autem capite gestus si fit, frequens non fit.*

Vultus sit æquabilis, *non effœminatus, non nimis mobilis & vacillans.*

Ita tamen, ut in omnem se vertere sciat, & subservire dictioni: nunc blandiore aspectu lenitatem præ se ferre, conciliare, docere, suadere, deprecari: nunc intentiori, acriori, tristiori affectûs exprimere, admonere, objurgare, cõterrere, erigere: rursùmque ad mediocritatẽ redeundo, probitatem, modestiã, animiq; prudentiam declarare. Hinc illud Horatii:

Vt ridentibus arridet, ita flentibus adsunt
Humani vultus: si vis me flere, dolẽdum est
Primùm ipsi tibi &c.

Frons aperta *sit & sincera: in tristioribus, minis & indignationibus gravioribus leviter corruganda.*

Conforme est nostro sæculo, quod docent Quintilianus & Fabius contra Ciceronem, indecoram esse in dolore frontis percussionem.

Oculi rectè conformentur, *quia mutantur ad animi motûs. Oculi torvi minarum & iræ indicium. Summa: eorum*

rum remissione, conjectu, hilaritate, motûs animorum significamus.

NARES nec corrugandæ, nec inflandæ, nec movendæ, *nec digito inquietandæ, nec crebriùs citra necessitatem emungendæ. Nasus corrugatus irrisionis, aduncus seu suspensus aliquantulùm, contemtus indicatio est.*

ORIS species non nimis mutanda.

LABRA nec malè porrigenda, nec scindenda; nec adstringenda, nec diducenda, nec in latus trahenda &c.

MENTUM pectori non affigendum.

HUMERI *æquis quasi lancibus librentur*, stati ac quieti: *indecorum, si iteratò alleventur vel contrahantur; sic enim in habitum adulationis, admirationis & metus se transformant, & gestum humilem, servilem & quasi fraudulentum præbent.*

PECTUS & VENTER non projiciantur: *nec pectus in pulpitum nimis*

inclinandum. Multò minùs super aliquem inter perorandum, incumbendum. Pectus percutere non cuivis decorum, nec adhibendum, nisi in rarissimis affectibus, ut interdũ in pœnitentibus &c.

Laterum flexione *virili* & trunco *magis toto* se orator moderatur *ad auditores, ab utraque parte consistentes*, si auditorium *magnum* & frequens.

Brachiorum projectio sit moderata, *nulla furiosa jactatio: cùm speciosiùs quid dicendum & uberiùs, exspaciabitur quasi ad latus brachium dextrum. Sursùm autem profectum quasi telum quoddam orationis est, & brachii protensio in contentionibus usurpatur. Sinistro rarò agendum, nec supra modum normalis anguli.*

Manus *exactissimè* moderari convenit.

Adeò ut totum gestũ Quintil. lib. 1. cap. 18. ex Platone χειρονομίαν vocaverit, id est, manuum legem seu moderationem. Eò quòd, cùm cætera partes loquentẽ adjuvent, manus propè ipsa

ipsæ loquantur, testibus Cicer. & Quintil. Nec hos destituit experientia. Nam manibus & digitis vocamus, invitamus ad silentiũ, interrogamus, supplicamus, poscimus, pollicemur, dimittimus, timemus, negamus, abominamur, exprobramus, minamur, numeramus &c. quid? quòd quidam manibus loquuti sint, χειρόσοφοι à Lesbonacte Mithylenæo dicti. Itaque

Manus 1. extendantur decenter *absque gesticulationibus.* 2. *Sint sine strophiolis, & ejuscemodi aliis.* 3. *In motu incipiat manus dextra à parte sinistra, & in dextra deponatur, sed non ut feriat.* 4. *Sinistra manus sola gestum non facit, sed dextra se plerumq; accommodat.* 5. *Nisi in aversationibus & abominationibus, tum enim sinistrâ solâ aversâ utimur.* 6. *Ingemiscendo manùs jungimus, sed in lamentationibus junctas demittimus; in invocatione & exclamatione, sublatis in cœlum oculis, erigimus.* 7. *Manuum complosio scenicorum est; gesticulatio omnis ridicula & fatuorum.* 8. *Palmam aliquando pectori decenter admo-*

admovemus in rebus religiosis. 9. Itémque in deplorando, exclamando &c. 10. Olim variæ in digitis argutiæ fuerunt, nostro sæculo & moribus nihil convenientes. Ori admovere & subitò removere solemus hodie in honore exhibendo: Indice certum aliquid denotare; omnibus verò partes varias quasi assignando asservare.

Femur venustè ferire in indignationibus olim decorum erat, nostro sæculo non item.

Genua recta sint, nec extendantur.

Pedes æqui & diducti sint paululùm: (Nam nimium, Thrasonicum) vel procedens minimo momento sinister.

2. Incessus rarus nec ita longus oratoribus veteribus usitatus fuit, ubi suggestum amplū & spatiosum fuit, multi judices, aut multi in senatu, aut in concione plurimi. Hodie verè discursare ridiculum. Et olim etiam circumcursitationem Flavius Virgin. in quodam festivè ridens, quæsivit, quot millia passuum declamásset. 3. Frequens in utramq; partem mutatio & alterna vacillatio inepta est; quam

quam in Curione irridebat Cicero, & Iul. Cesar etiam, cùm quareret, quis in lintre loqueretur. 4. Pedum suppłosio, olim in contentionibus incipiẽdis & finiendis opportuna & decora, hodie histrionica est. 5. Nostris moribus & temporibus usitata est alternata genuum flexio, quâ pedibus sonum aliqualem quasi plausum edentibus reverentiam contestamur, si vel Dei vel magni alicujus heroïs, regis vel principis mentio nominetenus incidat.

INDEX

INDEX CAPITUM.

PROOEMIVM DE DEFINITIONE & Divisione Rhetorices.

PARS GENERALIS, quæ de Suada interna.

CAp. 1. De veris Troporum fundamentis, in genere & in specie.

Cap. 2. De Tropi Definitione & Divisione.

Cap. 3 De Troporum Efficiente & Materiâ.

Cap. 4. De Regulis variis, ad intellectũ Troporum facientibus.

Cap. 5. De Metaphora.

Cap. 6. De Ironia.

Cap. 7. De Metonymia.

Cap. 8. De Synecdoche.

Cap. 9. De Troporum accidentibus generalibus.

Cap. 10. De Tropis tamquam peculiaribus vulgò existimatis.

Cap. 11. De Figuris in genere.

Cap. 12 De Figuris dictionis cõtinuatæ.

Cap. 13. De Figuris sensus seu sententiæ in genere.

Cap.

Cap. 14. De Figuris sensus seu sententiæ in specie, & primò de figuris alloquii, cùm nos ipsos vel alios alloquimur.
Cap. 15. De Figuris responsoriis.
Cap. 16. De Figuris explicatoriis.
Cap. 17. De Figuris amplificatoriis.
Cap. 18. De Suada interna secundaria.
Cap. ult. De variis generibus ornatè potentérque dicendi.

PARS SPECIALIS.

Cap. 1. De Suada externa in genere.
Cap. 2. De Vocis moderatione, seu aptâ pronunciatione.
Cap. ult. De Gestu.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74584197X/phys_0193
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74584197X/phys_0195
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74584197X/phys_0196
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74584197X/phys_0197
DFG



Wolfgang Ernst De
nun animalium

[illegible]



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn74584197X/phys_0200
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74584197X/phys_0201
DFG





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74584197X/phys_0203
DFG

cut sunt Iris, imago in sp
ctatio est 1. Nominis not
plicatione objecti repræse
cti & efficientium repræs
maginis proprietatibus, e
gnatis.

Imago ficta ab Or
fabula, vel Ethopæi
pæia, vel prosopopa

In fabula 1. videndu
rei proprietates declaren
si explicatio per singula
tur ad rei proprietates v
randa. 2. Argumenta
menta similia.

In Ethopæia, idole
sopopæia 1. subjectum
jus effingantur mores, vo
Singula singulatim enu
ipsi talia ederemus.

In themate falso &

Ut si perorandum a



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74584197X/phys_0204
DFG